





chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO



THRASYMENVS
siue
ANTHOLOGIAE
Illustrium Exemplorum
Decades Duæ

Senior
M. ANTONIVS BONCIARIVS
dictauerat

Iunior collegit atque vulgauit.

Cum Priuilegio Summi Pontificis.



IN AVGVSTA PERVSIA,
Apud Angelum Bartolum.
Superiorum permissu. M.DC.XLI.


GASPARE ROSSI SCOTTI



S. D. N. VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.


Nter non pauca ingenij monumenta, quæ moriens inedita M. Antonius Bonciarius noster natura Patruus, institutione Parens optimus, omni nobis chariora censu reliquit, CENTVRIA est ILLVSTRIVM EXEMPLORVM, non magis, argumento, ad formandos mores, quàm stylo ad linguam erudiendam, idoneorum. Est huic lucubrationi (cuius, nunc quintam Partem, reliquas mox daturi, in lucem proferimus) nomen THRASY-

MENVS siue ANTHOLOGIA.
Iure vtrumque, nam EXEMPLA ipsa, tum ex Colloquio Sapientium Virorum Auctor accepit, qui Dipnosophistarum more repetito, ad Thrasymenum ea narrasse perhibentur: tum ex variorum Scriptorum voluminibus, tamquam ex areolis, veluti flosculos quosdam ipse collegit: & in hoc libello, quasi in calathisco, non inconcinnè composuit Tibi, haud dubiè, P. B. ni Mors obstitisset, oblaturus. Et sanè cuinam iustius deberetur THRASYMENVS, quàm illi, qui eiusdem fluctus latè olim stagnantes, & circumiectis, non modo agris, sed Pagis etiam atque Oppidis stragem meditantes (fossa qua sese egerere solebat, repurgata) compescuit, ingenti Accolarum bono, qui, quoad Thrasymenus fluere non desinet, tamdiu singulare hoc

in

in se promeritum prædicabunt?
Cui potius FLORES suos famulari pateretur Bonciarius, quàm APIBVS, quæ non nisi selectissimos libare solent? Neque vero, quod nostris nunc manibus porrigantur, verendum est, ne Tibi P. B. minus bene oleant. amasti Patruum nostrum, dum vixit: tanti eum facere videbaris, quantum ipse non audebat optare: ille contra colebat Te tamquam omnis politioris litteraturæ, & humanæ diuinæque Sapientiæ Oraculum: nunc autem vt Dei in Terris Vicarium, religiosè veneraretur; nimis timidi essemus; si Hominem veteri Tibi clientela addictissimum, ad Tuos in præsentia beatissimos Pedes, prouolutum, non speraremus excipiendum perhumaniter. Nobis certe, qui sponte sua venturum, adducimus, gloriosissimum futu-

 rum

rum est, atque omni patrimonio pretiosius; si M. Antonij obsequentissimæ erga Te voluntatis Hæredes non indignos iudicaueris, qui ad nonnullam eius Prouidentiæ partem pertineant, qua Mundum vniuersum arctè complecteris; & non minus exornas meritis, quàm regis Imperio.

SANCTITATIS TVÆ

Humillimi ac deuotissimi subditi
M. Antonius & Bernardinus } Bonciarij fratres.

Ad

Ad

VRBANVM VIII.
PONT. OPT. MAX.

In Posthumam Thrasymeni editionem M. Antonij Bonciarij.

IMperijs deuicta tuis quæ cesserat olim,
Suppliciter dominos alluit unda pedes.
Vtque coarctato fluxit Tibi gurgite, sperat
Eximis per Te surgere posse vadis.
Ac simul emissis liceat decurrere limphis,
Et pelagus fiet, qui fuit ante Lacus.
Hactenus angusta sonuit præconia ripa,
Latior in laudes iam Thrasymenus erit.

Felix Verducciolus.



Ad

Ad
THRASYMENVM.

FEruebas tumidè clauso truculentior æstu,
Edomito placidas æquore sternis aquas.
Prouocat auspicijs idem, qui presserat olim,
PRINCEPS, ille tui fræna tenoris habet.
Sic fidos repetis Thrasyme ne coercite fines,
Sic fluis immenso vastior Oceano.
At te siuè tenent seù laxant littora, fluctus
Et plausus, DOMINO concinit vnda suo.

Idem.






M·ANT·BONCIARIVS A I·LIPSIO ITALVS HOMERVS APPELLATVS·

OCVLORVM HIC LVCE CASSVS
MVSARVM OCVLVS VIXIT
HINC
PERVSIA IACTAT HOMERVM SVVM
OCVLOS IN COELVM
TRANSTVLIT FAMA
GEMINAM AD PORTVM GLORIÆ
NAVIGANTIBVS CYNOSVRAM
TV VERO GAVDE
ANTONI
NVNQVAM DE TE NON RECTE
LOQVETVR
ERVDITA MORTALITAS,
QVÆ A TE ARTEM HABET RECTE
LOQVENDI.

Collegium Romanum Societatis IESV
hoc Elogio Bonciarium honestauit
Anno Domini CIↃIↃCXL.

Præfatio IN EXEMPLA

Ad Lectorem.



Vtaui me operæpretium esse facturum, si quæ nam occasio ad hæc scribenda me impulisset, initio aperirem paulò altiùs narratione repetita. Olim igitur valdè adolescens, vel potiùs puer cum decreßem sub Autumnum exire rusticatum, & mentem studijs grauioribus fatigatam ita recreare apricando, discursando, liberiùs agendo; vt tamen longiùs ab amœnioribus Musis non discederem: cœpi sedulò cogitare ac reputare cum animo, quos nam mecum exportarem libellos, vnde ingenuam, liberalem, & illis aptam temporibus voluptatem haurire poßem; super cetera variam, iucundam, non onerosam, non infructuosam. Proinde veterum latinorum, velut militum, vel potiùs Ducum numero inito, & singulorum copijs antè oculos expositis; intento animo lustraui vniuersos. Et dico nè an non dico, mihi quid acciderit? in altero audax, in altero mendax cuiquam potero videri. At dicendum tamen:

quoniam incœpi, quoniam ad rem. Ex tanto veterum numero Scriptorum, qui rem Latinam perennibus ingenij monumentis exornarunt,nè vnus quidem repertus mihi eſt, qui meo deſiderio, meiſque votis ad plenum reſponderet.Id quò commodiùs ordirer, certiùſque conſtituerem, propoſui apud animum ſeriem ordinemque Scriptorum, qui hoc in genere mihi prodeſſe, atque ad rem meam poſſe facere videbantur Oratores, Hiſtorici, Poetæ, Philoſophi,Theologi,Polyhiſtores, & Philologi omnes: ad hæc Collectores dictorum, apophthegmatum, exemplorum. Primùm Ciceronem in omni genere perfectum,eiuſque ſingularia opera expendere cœpi. Orationes pleræque grauiſſimæ, vt quæ in Verrem, quæ in Catilinam, quæ pro Muræna, pro Plancio, pro Roſcio, pro Lege Agraria, de Haruſpicum reſponſis, aliæque generis eiuſdem. Nonnullæ dicaces, maledicæ, atque (vt mihi ſemper viſæ ſunt) parùm liberales. illa etiam procax, & Auctoris vel dignitate, vel ætate indigna, quam plerique in Cœlum ferunt, Secunda in Marcum Antonium. Quædam honeſtiore ac magis (vt ſic dixerim) ciuili argumento, vt pro Archia, pro Marcello, pro Ligario, pro Rege Deiotaro, pro Pompeio;vniuerſæ autem (quis tam impudens, vt negare audeat?) excultæ, laboratæ, ingenioſæ, vberes, efficaces, vehementes; Philippicæ antè alias, quibus vnà exclu-

dere conatus videtur & Antonium & Demosthenem. at singulæ tamen propter quas causas iure commendantur, & in summo pretio habentur; propter easdem, minùs aptæ sunt rusticanti, & remittere ingenium, non intendere volenti. De libris Oratorijs, in quibus benè dicendi, & de Philosophicis, in quibus benè viuendi præcepta traduntur, idem planè iudicium feras. nec dissimile de illis, in quibus contra Epicurũ fines Bonorum, Malorúmque constituit, vel de illis, in quibus originem, natũram, vim Deorum scrutatur; vtilia omnia & cognitu dignissima quippequæ linguam acuunt, mores formant, pectus instruunt, exornantque. At nos isthæc erudita & grauia per reliquum annum dies noctesque in scholis molimur. illæ sunt feriæ Autumnales ingenio partim reficiendo ab æstiuis laboribus, partim muniendo ad hiemales vigilias destinatæ. Inter Epistolas ad Trebatium, & ad Petum legas quasdam huic tempori, & huic negotio accommodatas. lepidis salibus, & ingeniosis argutijs respersæ sunt. pauculæ illæ tamen, ac iam nimis vulgatæ. Dialogi supersunt Lælius & Cato, vt ciuilibus maximèque vtilibus abũdantes præceptis ad amicitiam excolendam, & senectutem iucundè traducendam: ita minimè illorum aut locorum, aut temporum.

Dixi de Cicerone verbosiùs. Non iniuria opinor. quanto hic est supra ceteros,

tantò examen requirebat & accuratius, & magis exquisitum. Sequuntur Historici, quorum aliqui nimium breues, nimium concisi, Valerius; Iustinus, L. Florus; alij plus nimio longiores, & rerum quarumcumque minuti scrutatores, Sallustius, Liuius, Suetonius, Cornelius Tacitus. vtrique autem seueriora & magis austera, quàm illi dies perpeti queant voluptati, ac genio dicati. Poetas censeat aliquis futuros fuisse ad rem vehementer accommodatos. nam siue rerum belli domique gestarum lectione caperemur; siue nos deliciæ lususque amatorij blandiùs allicerent, suauiùs tenerent; siue demum elatos terris ad se sidera inuitarent, & Cœlestes raperent orbes: esse in Græcis Homerum, Hesiodum, Aratum, Theognidem sociosque, præter illam Baccho & Musis dicatam Epigrammatum cohortem; esse in Latinis Virgilium, Lucretium, Manilium, Pontanum, præter illum Veneris triumuiratum, aliosque argutijs non lasciuia minores, vsque ad ipsum nequitiæ infelicem Magistrum; esse denique in nostratibus Etruscis Orlandos, Gotfredos, Pastorfidos, & cum Lesbia Lauras, cum Corinna, cum Cinthya, cum Lycoride certantes Phyllin, Clorin, Amaryllin, aliasque sub Flora, sub Arnide, sub Thetide latentes amicas. Verissima ista sunt, & communi expertem sensu putauerim, qui poetarum in primis Etruscorum, & ad Lyram canentium sua-

uitate non afficitur. hac præſertim tempeſtate, in qua ego quidem ſic habeo perſuaſum, & video pleroſque acrioris iudicij Viros idem mecum ſentire, Italicam Poeſim eouſque prouectam, quouſque olim ſub Auguſto Latinam: vt iam quò progredi vlteriùs, vel quò extolli ſublimiùs poſſit, non ferè relictum eſſe videatur. Solem ipſum cenſeas eſſe ſuperuectam cum Martis prœlia, & Iouis imperia, & Saturni tempora cantatum accedit. Iam pudeat Apollinem, vel ſi faciat, Coriariam facere putetur, ſi nouos Marſyas certare ſecum paratos multare ſingulos velit, omneſque auferre corporum vaginas.

Verùm enimuerò plurima ſunt, & paucula tamen, eaque potiora hic quidem tangenda, per quæ Poetas planè vniuerſos ad ingenuam animi recreationem minùs aptos, & antea cenſuimus, & poſtea ſumus experti. Primùm multi etiam eruditi, Naturæ quodam impulſu ab iſto genere ingenij recreandi penitus abhorrent. Deinde latinas epulas eaſque ſuauiter, at non ad luxum conditas in præſens requirimus. Græca vulgò non ſatis coquunt: duriora ſunt, quàm vel conficere dentes, vel ſubigere ſtomachi queant. Vulgaria Etruſca, ſi ſunt molliùs concinnata facilè reſpuunt quibus cor, & ingenium ſapit. nec minùs Catulliana, Tibulliana, horum ſimilia odio ſunt, quàm noſtratia huius generis, iam (prò Superi) fœdiora magis timenda.

Latini ſuperſunt, ex quibus Heroici graues, Satyrici dicaces, Elegiaci molles, Dithyrambi, Pæanes, Lyrici omnes partim breues, atque conciſi, partim (Seneca teſte) inanes, mendaces, aſſentatorij. Poſtremò poetica omnia ſuboſcura, & difficilia (de Latinis potiſſimùm loquor) ideoque potiùs in bibliotecis intento animo diſcutienda, & euoluẽda, quàm per otium in agro, ſub pergula, ſuper prato, ad fluminis ripam, ſiue ad fontem aquæ ſalientis canenda. Huc accedit, quòd nos quidem huiuſmodi quærimus relaxandi animi rationem, quæ cum aliqua vtilitate, ac fructu coniuncta ſit, non ex qua tantùm voluptas hauriatur. Poetæ autem plerique omnem ingenij vim conferunt ad animos ſenſuum titillatione mulcendos, pauculi ad rectè formandos, aut in melius mutandos, vtinam non multi ad deprauandos, corrumpendoſque, in quos alius inuehendi dabitur locus. Præſens caput de Poetis claudat verſus Horatianus, vt eum lepidè Vir doctus mutabat,

Delectare volunt, vel delectare Poetæ
Non ſimul & iucundà, & idonea dicere vitæ.

Iam quemadmodum ex poetis nuda voluptas, ita à Philoſophis nuda veritas petitur. Vnde à diuerſis, & planè contrarijs cauſis ad liberalem animi remiſſionem idonei non ſunt. Vnus eſt Boetij liber de Conſolatione Philoſophiæ, cui hoc in genere, plurimum reor eſſe tribuendum:

adeò

adeò lepidis ac suauibus Numeris temperat austeritatem tristitiamque præceptorum. In stylo aliquid desiderem, in argumento propemodum nihil. Tantùm ad consolandos animos ægritudine aliqua laborantes, quàm ad refouenda ingenia studiorum laboribus fatigata, & exhausta videtur esse accommodatior. Sequuntur Exemplorum Collectores, varijs titulis res penitus easdem, & idem prorsus venditantes argumentum, Cæsarius, Cantipratanus, Fulgosius, Brusonius, Eborensis, Pomaria, Hortuli, Prata, Flores, Fructus Sanctorum, & quod nuper prodijt Grande Speculum Exemplorum, quod castigauit, ampliauit, & in communes locos digessit (ita titulus præfert) innominatus Iesuita. In quibus singulis paucissima offendas, quæ non ab alijs ante occupata, vel post repetita inueniantur. Pontificem excipio Magnum Gregorium, qui vt pleraque temporum suorum, testata & probata omnia memorat, ita nullius superiorum arculas reuellit, aut scrinia compilauit: spoliatus ipse à posterioribus, imò à quibusdam & deprauatus in fœdum modum. Ex his autem vniuersis, atque horum simillimis relatoribus, certè non exigua ad Lectorem vtilitas manat. nec vtilitatem planè omnis destituit voluptas: porrò hæc euenta historica sunt, & *Historia* (inquit Plinius) *quoquo modo scripta delectat*. Veruntamen ad eam quam quærimus recreatio-

nem ac remiſſionem ingenij liberalem, haud nimium conferre nobis videntur. Primùm breuia ſunt, ideoque cum citò effluant, citò deſinant, minimùm afficiunt legentem. Secundò pleraque omnia inquinatè ac barbarè ſcripta ſunt. certè omnia inornatè, communiter, triuialiter. vt nullam ingenuo Viro delectationem, imò aliqua riſum, aliqua ſtomachum commoueant. Tertiò nullæ inter narrandum ſententiæ, nulli aculei animos feriunt, ſuſcitant, informant. frigidam, ieiunam, enectam, planè mortuam dicas eſſe orationem. Quartò reperias identidem multa extra propoſitum, aduerſus decorem, contra veritatem. hoc nos extremum non ſemel deprehēdimus, nec refellere fuit tanti. Agnoſcēt facilè Hiſtoriarum ſeu veterum, ſeu recentium haud penitus rudes. Quintò caſus per ſe ipſi maximam partem triti atque communes. minimum continent nouitatis, varietatis, admirationis. Denique omnibus dicendi artificijs carent: vt etiam ſi rara, inuſitata, & ſua ſponte miranda referrentur; tamen ſermonis imperitia, rerum perturbatio, & ordinis peruerſitas omnem adimeret legēdi voluptatem. Quod magis miratus ſum, alij ab alijs mutuantes, & in ſua ſcripta referentes, & pro ſuis venditantes; tamen eiſdem dicendi, & ſcribendi vitijs non carent. apud quoſcumque illa legas eodem modo inepta ſunt, eundem ſermonis habitum & formam

manum gerentium.

Quid tu autem? dicet aliquis. Omnia ne videris tibi assecutus, quæ in istis desideras ornamenta & commoda narrandi? Nequaquam: sed certè vt assequerer omni studio contendi: cum quidam nè voluisse quidem videantur non ineptissimè dicere. Fors nobilibus ingenijs hæc nostra iter aperuerint, & viam commostrauerint meliora, quàm ego fecerim, aut facere potuerim moliendi: Quorum causa non pigebit referre, quid mihi vsu venerit huiusmodi scriptionem meditanti, & quorum tandem exemplum sequi studuerim in *Exemplis* conscribendis. Eram in ea cogitatione, quam supra exposui, librorum veterum, nouorumque lustrandorum, si qui ad rem meam facere viderentur, cupienti Autumnales ferias cum ingenua, nec penitus infructuosa voluptate consumere: cùm ad manum venere quos nunquam antea pellegeram ex Græcis Lucianus, Heliodorus, Erastus, alij tales; ex Latinis Petronius, Apuleius, Marcianus Capella; ex vulgaribus præsertim Hispani nonnulli, quornm nec nomina ponere libet: insulsi ac stolidi sunt: denique vnus ex Etruscis Ioannes Boccacius, qui petulantis lasciuiæ reus cùm multos annos in vinculis esset habitus, ad extremum viuicomburio damnatus, Cruscantium deprecatione veniam impetrauit: cùm eo tamen, vt longo post exilio in patriam reuocaretur,

bulga prius ac receptaculo libidinum perfosso, & multis toto corpore quà grandioribus, quà minoribus inustis notis. Græcos merè nugaces, ac tantùm fabulones cum stomacho reieci. Ex Latinis Asinus Appuleianus rudere non dicerevisus; & Marciana Capella balare, non cantare aut loqui. pauculas verò, quas recensent fabellas, illarum similes censeas licet, quas anicula blatterat propter ignem, pensa puellis distribuens. vnam non Asininam Asinus refert, iam puto in hominem reuersus, quam certatim diripuere Fabulatores. Arbitrum impuræ puritatis, & castæ impudicitiæ non iniuria Iustus accusat. licet antea illum vel fortuna, vel tempus acerrimè multauerint, exdorsuatum vix adhuc spirantem. ille se, si reuiuisceret, credo nòn agnosceret, alium quempiam putaret. Boccaccius supererat, cum quo iterum restituto, tanta me familiaritate coniunxi, vt per totum illius anni Autumnum, ceteris intermissis auctoribus, illi propemodum vni operam dederim. Nec sanè ad eam rem, quam quærebam, videbar mihi alium posse inuenire magis opportunum: si tantummodo quædam adessent, & quædam abessent, quæ mox ostendam. Abesse adhuc voluissem, quæ non penitus erat sublata, nec (vt ego arbitror) auferri potuerat, historia salua, omnem verborum, ac rerum turpitudinem, quæ morum castitatem, puritatemque inficere possit.


Adesse

Adeſſe autem, quo illa omnia exponerentur, idioma latinum. Latinum cum dico, Boccaccianum penitus excludo agreſte, vulgare, ſemibarbarum. quale videlicet adhibitum videmus in Geneologia, & alijs opuſculis, quæ Lectorẽ emptoremue non inuenirent, niſi latinam etruſca veſte mutaſſent. Proinde venerat in mentem mihi ex centum fabulis legere circiter triginta honeſtiores melioreſque (nec enim fore plures videbam, fortè nec tam multas) eaſque in latinum transferre ſermonem. Feciſſemque haud dubiè, niſi temporis progreſſu ſperaſſem mihi ter totidem *Exempla* hiſtorica ex frequenti tum lectione, tum auditione ſuppeditatum iri: & ea forſitan Boccaccianis non vno veritatis, ſed altero & alterò iucunditatis, varietatis, admirationis, & vtilitatis nomine præferenda. Id quod fuerim conſecutus necnè, aliorum volo eſſe iudicium. Ego certè confiteor, me quantum temporis, atque operæ non dicam impetrare, ſed partim ſurripere, partim extorquere potuerim ab infirma valetudine, ab aſſidua docendi occupatione, ab alijs etiam ſtudijs obeundis, quorum & neceſſitas, & ſpecimen apparet, id propemodum omnè ad hanc cogitationem curamque contuliſſe. Non dico autem, mi Lector, non dico: quod ſi dicerem diſertè mentirer: plurimum mihi temporis fuiſſe conſumptum in his quoquo modo digerendis,

atque in litteras mittendis: non dico: norunt qui mihi à ſtudijs, quique à calamo ſunt, quorum fidem appello; SI non vna hieme, nihil interim ſolemnibus remiſſis totas dictaui *Narrationes* quinquaginta: ſed in his ipſis alijſque plus totidem, quas habeo in *Aduerſaria* relatas inueſtigandis, atque adeò venandis per incorrupta rerum geſtarum monumenta, quaſi per ſaltus, & nemora hiſtoricorum, moleſtia ingens & pertinax labor fuit exantlandus.. *Reliqua deſiderantur*.



Introductio AD NARRATIONEM EXEMPLORVM.



Væstio fuit inter Sapientes, quæ ab antiquissimis ducta temporibus ad hoc vsque seculum, ætatemque peruenit: Vtrum sit in commune difficilius, secundam nè an aduersam ferre fortunam. *Et pro* aduersa *contra* secundam, *stare videntur rationes non solùm fortes, & graues; verùm etiam ita perspicuæ, ac sensui patentes, vt nonnulli admirati sint, rem huiusmodi per se apertam, & cuique facilem introspectu, vocari à magnis viris in controuersiam. Propterea quòd cum difficilia sint ad tolerandum ea omnia, quæ sensum doloris creant, illa minùs, quæ minorem, illa magis, quæ maiorem: ista trium generum esse nobis videntur; Prima, quæ animum angunt; Secunda, quæ corpus affligunt; Tertia, quæ in externis posita sunt, & nos aliqua vel voluptate, vel cõmoditate desraudant. Primi generis exempla sunt* Timor, Tristitia, Mœror, Indignatio, Iracundia, *& cetera affectiones, quibus mens torquetur, & inquietatur. Secundi generis sunt* Sectio, Vstio, Excarnificatio: *ad hæc* Podagra, Chiragra, Dolor laterum, Dolor dentium, Dolor oculorum, *cum longa febrium, & morborum coborte. Quamquam*

enim

enim non propriè corpus isthac dicitur pati, sed anima in corpore, atque per corpus: tamen ista subtilia philosophis relinquentes, aduersa corporis appellamus, quacumque in ipsum corpus grassantur, & sunt per carnis coniunctionem animo molesta. Tertij generis hac videntur posse assignari. Orbitas liberûm, parentum, cognatorum, amicorum: *ad hac* Inopia, Solitudo, Inimicitiæ, Infamia, Obtrectatio, Insectatio, *cetera generis eiusdem. Per qua licet affligentur nunc animus, nunc corpus, nunc vtrumque: tamen quia extra nos fiunt, vocantur externa. Huiusmodi autem omnia (sicut ego existimo) ad duo capita referuntur;* Bonum quod ammittimus, Malum quod incurrimus. *Bona sunt, idest talia vulgò putantur (& nos isthac decidimus cum vulgo)* Sanitas corporis, Ingenium, Memoria, Pulchritudo, Diuitiæ, Clientelæ, Imperium, Honor, Voluptas, *quorum ammissio (quacumque id ex causa fiat)* Aduersitas *vocatur. Mala sunt (eodem modo accepta)* Valetudinis infirmitas, Ingenij tarditas, Obliuiositas, Cæcitas, Inopia, Infamia, Seruitus, Ægritudo, *quorum occursio, atque perpessio pariter* Aduersitas *vocatur. Deinde quid alia persequor? nomen ipsum, quo hac vulgò appellantur, satis ostendit quanam isthac, & qualia sint, de quibus inducta disputatio est, ac per se ipsum sinè alijs argumentis dirimit, deciditque controuersiam. Sic enim instituo argumentationem. Si* Aduersa *vocantur quacumque aduersus animi nostri cupidinem obueniunt; vtique per nos ipsi cognoscimus, qua isthac sint, & cognoscimus, certumque*

certumque habemus ea tantùm esse fugienda, quoniam dura, & perpessu aspera sunt. E contrario, Si secunda, & prospera *vocantur, quæcumque nobis ex voto succedunt; hoc pariter planum, atque perspicuum est vnicuique inditum esse natura, vt hæc tantùm sibi expetat, & consequi laboret, quoniam iucunda, & optabilia sunt.*

Verùm enimuerò dicat aliquis: Aliud est fugere aduersam fortunam, *quam nemo non fugit; & cupere* secundã, *quam nemo non cupit: aliud vtramque moderato animo ferre, quod propositæ Quæstionis caput est. Audio inquam, sed nè id quidem posse ambigi videtur, aut cadere in controuersiam vllo pacto. Propterea quod quæ* aduersa *sunt, ea propriè dicimur pati, quoniam secum dolores, & incommoda portant, vt* Egestatem, *vt* Inualetudinem, *vt cetera huiusmodi, quæ autem* secunda, & prospera *sunt, vt* Firma valetudo, Ampla vectigalia, Dignitas honestior, *& alia huiusmodi, quæ voluptatem afferunt, non ea propriè dicimur pati, sed ijs frui, & delectari. Sublata igitur omnis quæstio videtur: siquidem tantùmodo* aduersam fortunam *patimur*, secundam *adeò non patimur, vt eam discarpere, & haurire videamur cum voluptate. Propterea quia in* aduersis *ferendis magno pondere grauamur, idest angimur, affligimur, pessum deijcimur. in* secundis *autem quid simile? subleuamur, extollimur, delectamur. Contrà si quem aliqua calamitas oppresserit, hunc subleuare, atque sustollere conamur consolando. Quis enim ad familiarem amicum ita scripserit?*

Vene-

Vehementer doleo quòd optimè valeas; quòd strenuè iter confeceris; quòd sospes in patriam fueris reuersus; denique quòd studijs, amicis, propinquis in summa felicitate perfruaris. *Quis non potiùs ob ista singula, & alia huiuscemodi amico gratuletur? Condolere, ac nos tamquam socios ægritudinis præbere illis solemus, qui graui morbo, qui egestate, qui solitudine, alioue infortunio laborant. Patet igitur in* Aduersis *esse opus patientia, in* Secundis *non esse. Confirmat hanc rationem vsus, & consuetudo precandi superos, quam sapientissimi, & optimi viri nos docent, & Ecclesia cantat, recantatque. Dauid, & Salomon in primis; apud quos centies inuenias rogari Numen cœleste, vt miserias respiciat, ærumnasque mortalium quibus sustinendis sinè diuina ope non sufficit humana imbecillitas. Contrà nusquam iubemur (quòd ego meminerim, & sciam) petere à Deo, vt eluuiones, exustionesue terrarum, vt pestes, vt naufragia, vt annonæ difficultates, aliaque tristia nobis largiatur, in beneficij loco suscepturis. potiùs auerruncari singula ista, & longissimè gentium amandari vouemus.*

Igitur quæcumque dolorem, mœrorem, & animi ægritudinem creant; idest cuiusquemodi aduersa perpessu difficilia, & ad ferendum grauia putantur. Secunda verò, & prospera vnde ad corpus voluptas, ad animum tranquillitas, ad vtrumque commoditas, & quies manat, quis vmquam difficilia, imò quis non facillima, & suauissima censeat haud dico equidem ad sufferendum (quod hic vocabulum minùs quadrat,

sed

sed ad gustandum ac perfruendum? Tamen hoc neutiquam dubitare fas est quod initio propositum nobis fuit, rem facere magis difficilem, atque arduam, qui Prosperam fortunam, *quàm qui* Aduersam *didicit ferre moderatè. At enim Video inquies ferri* aduersam fortunam, prospera *verò quemadmodum feratur non video, & id prius velim mihi explicari quàm ingredimur, aut vltrà prosequimur disputationem. Rectè: non enim scire possumus esse aliquid vel facilius, vel difficilius, nisi hoc aliquid quale sit antea sciamus. Ferre igitur* Fortunam, *vel* Prosperam; *vel* Aduersam, *hoc significat, Retinere in vtraque constantiam, & se inuictum præbere tam aduersus beneficia indulgentis, quàm aduersus iniurias persequentis Fortunæ. Porrò in illis periculum est ne insolescas, & æstimes te supra te: in his contrà ne animum despondeas, & præceps ruas in desperationem. Optimè autem fert vtramque Fortunam, qui nec* Secundis rebus *extollitur, aut inflatur, nec* Aduersis *deprimitur, aut frangitur, sed tam in istis, quàm in illis eumdem animi statum, vitæque (vt sic dixerim) tenorem conseruat. Nunc rogo ex duobus vtrum est difficilius? Aliter vulgus, aliter Sapiens respondebit. Ex vulgo neminem inuenias, quin se fortissimum putet ad quæuis pondera sustinenda quæ fors ridens imponat honesta, quæstuosa. Dicamus ingenuè: Quis nostrum est non dico Sapientium, aut Principum, sed saltem Ciuilium, ac mediocrum Virorum, cui non facilè videatur ferre Prioratū, Episcopatum, Cardinalatum, Pontificatum? cui non è contrario rem perpessu difficillimam sese ostendit, si fortè*

incurratur

incurratur exilium, orbitas, egestas? & fallimur tamen: cùm per illa difficilius, & impeditius, ideòque rariùs; per hæc autem planiùs, faciliùs, expeditiùs, & ideo frequentiùs ad virtutem tendatur, cum virtute viuatur. Id ego in præsens quadruplici ratione, non dicam probabo, sed probare contendam, Iudicibus acriore iudicio præditis iudicium relinquens. Prima ducitur ratio ex auctoritate Sapientium, Secunda ex ingenita humanis animis propensione naturæ, Tertia ex Virorum maximè illustrium exemplis, Quarta denique ab experimentis, quæ in quotidiana consuetudine cernuntur.

Iam vt à primo partitionis capite ordiamur, Secundæ res *(inquit Sallustius)* Sapientum animos fatigant. *Tantùm abest, vt mediocres quidam, atque vulgares homines temperare sibi queant, quibus-cum fortuna egerit, agatque liberaliùs. Vt propterea Xenophon verè ille quidem, ac sapienter, sed penè incassum mortales obtestari consuesset.* Cum tranquillè, ac placidè res fluerent, tum maximè Deos colendos, eisque gratias agendas; vt postea faciles, ac beneuolos haberemus, vbi tempestas ingrueret calamitatum. *Hæc Xenophon. Cuius consilium vulgò homines peruertunt, quibus in summa felicitate, ac fortunæ indulgentia, incredibilis Superum obliuio est. contrà vbi quicquam aduersi, vel minùs ex voto contingat; ibi Cœlum, ac Cœlites recordantur à quibus veniam, à quibus perfugium implorant. Sordidissima quadrupedum imitati, quæ pyris ex alta arbore cadentibus ventrem saginant, ad pastorem*

florem ingerentem nè respiciunt quidem. Vbi autem capiti malleus impingitur, ibi primùm attollere rictum, & grunnitu lenire mactantem conantur. Nec ab historico, aut Philosopho longùm recedit Vir singulari Sapientia præditus, & Ecclesiæ columen Sanctus Doctor Augustinus. Verba eius hæc sunt. Magnæ, *inquit,* Virtutis est cum felicitate luctari, nè sic alliciat, vt corrumpat, neue ipsa subuertat felicitas. Magnæ inquam virtutis cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est à felicitate non vinci. Adde, *inquit Boetius*, quod felicissimi cuiusque, delicatissimus sensus est, & nisi ad nutum cuncta suppetant omnis aduersitatis insolens, minimis quibusque prosternitur. Adeò perexigua sunt, quæ fortunatissimis summam beatitudinis detrahunt. Quamobrem Plus, *inquit,* reor hominibus Aduersam, quam Prosperam prodesse Fortunam. Hæc enim specie felicitatis cum videtur blanda mentitur: illa semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Vt ab altera falli, ab altera instrui, & erudiri videamur. Iam, *inquit Seneca*, Cum omnia, quæ modum excesserint noceant; periculosissima Felicitatis intemperantia est, quæ in vanas mentem imagines euocat. *Super his illud mihi Tullianum ad rem facere, ac magnum momentum afferre secum videtur ad animos permouendos, docendosque frugalem, ac sobriam mediocritatem.* Fortuna, *inquit,* vt medicus ignarus multos excœcauit. non autem

ipsa

ipſa fortuna cœca eſt, ſed eos cœcos plerumque efficit, quos complexa eſt. *Iuxta veterem paræmiam* : FORTVNA quos extollit, infatuat. *Cum contrà Sacrarum etiam litterarum teſtimonio*, Aduerſitas *animum luxuriantem, & per incerta vagantem recolligat, & compotem ſui redditum à rebus caducis ad contemplationem reducat æternam.*

Ratio autem cur iſta ſic euenirent mihi meditanti, & cum animo reputanti, hæc ferè ſuccurrebat, vt iam Secundum partitionis caput ordiamur. Natura comparatum eſt, quæ triſtia ſunt, & perpeſſu acerba, cum aut corpori, aut animo incidunt; ea foras trudere, ac propellere conemur. Ergo ad hanc quaſi pugnam mens armatur, & ſtipata vndique fortibus animæ facultatibus, hoſtem inuadit. Ex hoc autem certamine anima rationis compos, alterutrum conſequitur, vt vel aduerſis profligatis, & longè ſummotis ad proſpera redeat; vel certè, vt ſi vincere illa non queat ipſum ſe vincat, moderatè ac leniter ferendo. Id voluntati facilè perſuadent reliquæ Sorores in vnum coactæ: tum ad vim repellendam ſi poſſint; tum ad conſilium dandum ſi non poſſint. Ac mens quidem humana ruentibus in ſe aduerſis, quaſi fluctibus tempeſtatum, primo impetu tota concutitur, nec in turbido aut videt, aut cogitat Cœlum: mox vbi ſpatio dato tempeſtas remittit, & nubes rareſcunt, & Sol reduxit ſerenum: tunc in liquida luce Verum, atque honeſtum perſpiciens, fida conſiliatrix non cunctatur dominam adire voluntatem, cupidinibus ancillis morem gerere, iuſſis oſtendere Fortitudinis, Patientia,

tia, Constantia bonum. Ita semper prosunt aduersa. nam siue in prospera mutentur, ex suo discessu iucundiora relinquunt; siue maneant continenter, magnarum sunt exercitamenta virtutum; in quibus homini præsertim Christiano par in tempore solatium, imò & voluptas est. Præclarè vt omnia Sanctus Bernardus. Primùm, *inquit*, importabile tibi videtur aliquid: processu temporis si assuescas, iudicabis non adeò graue: paulò post, & leue senties, paulo post nec senties, paulò post etiam delectabit. *Enimuerò prospera, & sensui iucunda cur idem non efficiunt? Cur animus humanus* Secundis rebus *insolescit, se supra se, supra omnes mortales ad vsque ipsos Cœlites extollens? Est facilè in contrarijs, ac inuicem pugnantibus, vno perspecto, iudicium de altero ferre. Si* Aduersa *faciliùs feruntur, quia mentem instruunt, congregatis in vnum animi viribus ad dolorem quasi hostem summouendum, vel cum eodem aliqua ratione paciscendum: necessariò consequitur vt* Prospera *ideo sint perpessu magis difficilia, quoniam segregant, dissipantque omnes animæ facultates, quasi regias ancillas; ipsam verò mentem Reginam suo destituta satellitio, nudam, hebetem, ebriam relinquunt. Quam quidem mentis perturbationem, ac solitudinem necesse est insania, fatuitas, iactantia, & obliuio sui, non tantùm Dei consequatur. Quid enim? putas tu illum seriò vmquam redire ad cor, putas sobriam mentem adhibere in consilium, putas denique ipsum sui, ac suæ sortis, imò suæ sordis recordari, qui dies noctesque congerendis opibus*

occupatur

occupatur, nesciens infelix cui sudet, cui algeat, cui laboret? imò cui tot corporis incommoda, & animi ægritudines perpetuas vendat? Qui si Fortunæ *illam crapulam, & ebrietatem obdormiscere posset, & excoquere, haud dubium est, quin agnosceret paulò post, quantum sibi coaceruanti, quantum suis dissipantibus, & abutentibus, impendeat salutis discrimen. Cerneret inquam siccus, & sobrius, id quod nos cernimus, quibus grandes calices non propinauit* Felicitas, *Nullam esse mortalium insaniam maiorem, quàm semper angi, semper fatigari: quamobrem autem? vt tu forsitan aliquando quiescas? Concederem: tametsi caro emitur tantis laboribus tantillum quietis. At ne in somno quidem sepelit curas Auarus. vigilantiores illo sunt. identidem consurgunt, & vel suscitant dormientem, vel terrent somniantem. Quibus igitur ista patiuntur? Nempe dicent liberis, cognatis hæredibus suis, Est hec etiam insanientis, vltrò illis obsequi, ac de te supplicium dare, qui gratiam habituri non sunt, qui te aut ignorant, aut ignorabunt. Nam duplo stultior es, si existimas cum opibus memoriam tui transire ad pinguiores heredes. Quæ videmus, quæ ab alijs audimus, quæ identidem stomachamur, alia super alijs exempla, id nos quidem ambigere non sinunt. Et tu quicumque es dupliciter infelix, qui aliena commoda viuens quæsisti, moriens confirmasti, cuius olim laboribus, nunc cruciatibus hæredes triumphant; non semel ipse audieris, ac præsens videris necesse est. qualem vulgò gratiam reportent, qui propriæ salutis, imò & necessitatis obliti totos sese*

ad filios, nepotesque locupletandos dediderunt. Nec tu tamen eorum exitus perhorrescis, quorum facta es imitatus? Agè inquies: non me ipse respexi, nec vllam officij gratiam cogitaui. tantùm illis volui esse consultum, quos diligebam. Ingens charitas pro quocumque, at multò ingentior pro illis animam ponere, quos certum habeas immemores futuros, & parare ingratis ex incommodo tuo, commodum. Cedo autem, & commendo, si Commodum; Sed non est ita: potiùs hominibus priuatis, ingenuis, & tam frugaliter, quàm continenter viuere assuetis non commoditas, sed infelicitas paratur per liberale testamentum, aut nimis effusam donationem. Veniunt ista sæpe tentatum, atque vtinam non sæpius euersum fortibus opum machinis Parsimoniam, castitatem, pietatem, virtutes omnes, & maximè omnium (quis crederet in diuite?) Christianam liberalitatem. Quæ quidem animi bona non solùm ad communem societatem, sed ad propriam salutem necessaria, vel sapiens Vir in priuatis facultatibus, & mediocri fortuna faciliùs sibi comparat, promptiùs exercet, meliùs tuetur. nè tu forsitan existimes irruentibus diuitijs resistere posse mortales, nullis Sapientiæ præceptis quasi telo armatos, & clypeo munitos.

Verùm nos in ratione peruestiganda cur faciliùs Aduersa, *cur difficiliùs* Prospera *ferantur occupati iamdudum latiùs vagamur, quàm fors eruditior aliquis censeat esse necessarium. Sed duo cogitet: alterum qui scribamus, alterum quibus. Primùm quod homo tantùm Philologus, aut Philosophaster compluribus exequitur verbis;*

id

id opinor longè angustiùs, breuiusque alius concluderet verò, ac seriò Philosophus. Ad hæc ætatis ingrauescentis, & garrulæ professionis, & loquaculæ cæcitatis vitium agnosci, & ignosci Iudex paulò æquior facilè censebit. Postremò non hic Viros doctrina insignes, aut non illos tantùm, sed mediocres multos, & tantùm non ignaros latinitatis appellamus. Quorum ingenio magis expedire, ac magis optabilem remur fore liberalem vbertatem, quàm malignam, odiosamque subtilitatem. Agè nunc post rationem reliqua persequamur.

Tertium sequitur partitionis caput De Exemplis illustrium Virorum, quos vel natura, vel institutio fortes, liberales, magnanimos, finxerat: & prorsus huiusmodi semper fuere, donec Fortuna prosperior *mutauit, omnem mentis habitum confundens, & ratione deturbata, imperium libidini permittens. Vnde autem in tanta copia initium narrandi faciam, aut quem calamo finem, modumque præscribam? Non placet priuatorum licet insignium; non placet barbarorum licet potentium interponere exempla: cum me Reges, ac magni Principes omni doctrina excultissimi ad se quodammodò rapere videantur: futuri tres quattuor pro sua excellentia instar plurimorum. Agè vnum Hebræi dent, alterum Græci, tertium Romani, quos non necesse habeo hic quidem nominare. Suus quemque splendor, & magnitudo legentium animis repræsentat. Quo breuiùs, atque compressiùs de singulis dicam. Quis enim non nouit Salomonem, qui omnes ante se Reges, nec dico Hebræorum dumtaxat, sed planè*

omnium

omnium nationum opibus, maiestate, amplitudine, magnificentia, item pulchritudine, ac robore corporis, item (quod caput est) eruditione, prudentia, Sapientia longo interuallo superauit? Nec his tam multis, & tam insignibus natura, industria, fortuna, commodis ad breue tempus, vt ferè Principes solent; sed annos quattuor, & nonaginta perfunctus est, cum regnasset (si Iosepho credimus) octoginta. Non est consilium hoc loco vitam hominis retexere, quam omnes norunt in sacra història saltem mediocriter versati. Tantùm refero breuissimè, quod vel vnum (si ego falsus non sum) ante-positam decidit quæstionem. Hic igitur quamdiu in hostibus profligandis, in imperij finibus tuendis, in Vrbibus Templisque condendis, alijsque Regalibus obeundis muneribus fuit occupatus, multa identidem sustinens latu grauia, perpessu aspera, vitam duxit, tamen inter ardua religiosam, in humanis cœlestem, in aduersis beatam. Postea verò quàm singula ex voto, quædam & supra votum cadebant: Ex illo inquam tempore cum seriò indulgens, & omnibus copijs circũfluens fortuna, *totam se homini superinfudit; & si pectora multum Sapientiæ, multum experientiæ robur muniérat; & si ætas iam ingrauescens minimè accommoda fruendis delicijs, ac firmissima esse debuit aduersus voluptatem: tamen Vir pondus huiusmodi ferre non potuit; & sua illum felicitas obruit. Vsque adeò donec (hic semper hæreo mirabundus quoties retracto, aut recogito) Vir tot tantisque à Deo beneficijs cumulatus, & priuilegijs honestatus ad tantam siue perfidiam, siue ignorantiam redijt,*

non modò vt patrias leges violarit, externis se coniugijs contaminans, verùm etiam in pellicum gratiam, quas circiter quadringentas domi alebat, à vera Religione desciuerit; & cultum Deo debitum ad Idòla transtulerit. Qua quidem impietate dubito si dicam nihil fœdius, aut nefariùs fieri potuisse, cum illam superare annisus postea fuerit Alexander. Qui primùm Aristotelis, deinde Callisthenis egregia disciplina institutus, & tam in abdita naturæ secreta, quàm in intimos Philosophiæ recessus per hos duces intrò admissus, incredibile memoratu est, quo ardore omnem virtutem, sed in primis frugalitatem, clementiam, continentiam, & pietatem coluit adolescens. Argumento sunt repudiati, quos Olympias mater mittebat, Epularum conditores, & coquinariæ artis insigniter periti; quibus sibi nequaquam esse opus respondit. habere se appetitum cientes, & famem suscitantes coquos meliores: Matutinam ambulationem, à qua prandia; prandiorum tenuitatem, à qua cenæ condirentur. Qualis autem illa, & quanta victoriæ moderatio aduersus hostes capitales? Primùm nobiles captiuos nullo pratio redemptos, imò quosdam liberaliter donatos remisit. Matrem Darij Sisigambim in pristino Regalis fortunæ fastigio habuit, eamque non minùs quàm Olympiada, & ipse semper veneratus est, & non minùs quàm se ipsum à purpuratis, & Satrapis, totoque exercitu coli mandauit, vt præter libertatem, cui pax reditum spondebat in hostilibus castris faciem regni agnoscere videretur, nec sibi Darium filium censeret vel plura, vel ampliora fuisse daturum, quàm hostis dederat Alexander.

Alexander. Quo minùs est mirum id, quod veteres auctores tradiderunt, Hostis quàm filij mortem ægriùs tulisse, ac vberiùs planxisse Sisigambim: Nam circa continentiam, & affectuum moderationem miraculo proxima sunt, quæ de illo consentiens, & Græcorum, & Latinorum historia recenset. Annum circiter quinctum, & vigesimum agebat, cum primùm exercitu Darij profligato; & ipso in fugam coniecto, Virgines Reginas excellentis formæ puellas habuit in potestate, quarum pudorem tam sanctè reueritus est, quàm si eisdem secum parentibus genitæ forent. Coniugem verò eiusdem, quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis æquabat, adeò ipse non violauit (Curtij verba sunt) vt summam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet. *Iam cum ad Sisigambim annis grauem sæpius accederet consolatum, quam obsequio Reginam, affectu matrem sibi esse declarabat: iuniorem nurum, & iuuenculas neptes nec visitauit vmquam, nec vidit plus quàm semel eodem die potitus castris, & prœlio finito. Qui si eiusmodi continentiam ad vltimum vitæ tenuisset, haud temerè crediderim raros in antiquis, rariores in nostris Reges fuisse futuros, qui cum illo comparari possent. Verùm enimuerò Vitographus præclarè,* Nondum, *inquit*, fortuna se animo eius superfuderat: itaque orientem, eam moderatè, & prudenter tulit, ad vltimum magnitudinem eius non cepit. *Mortuo enim Dario, & finitimis quibusque aut bello expugnatis, aut metu famaque in deditionem receptis, tot tantorumque Dominus, & Monarcha regnorum,*

illa inquam generositas, & fortitudo, quæ pari robore aduersus vitia, & contra hostes in acie steterat semper inuicta; Paulò post omnibus perfuncta victorijs, & omnium plausu, atque acclamatione celebrata, relanguit, & extincta est repentinò; idest securitate parta, tranquillo nauigans mari, ventis secentibus, in ipso portu naufragium fecit. Pudet adscribere singula genera impuritatum, libidinum, turpitudinum, quibus se non dicam inter scorta, sed inter honestas matronas, & regalis prosapiæ Virgines, ipsis etiam parentibus vnà conuiuari, & hæc coram spectare coactis, contaminauit; vt non aliam ob causam antea temperans, & modestus haberi voluisse videatur, quàm vt licentiam flagitijs quæreret, ac se demum patefaceret comparatione deterrima. Sed vastum animum simul fortuna, simul Baccho ebrium nequaquam sola Vinum, & intemperantia satiabant. quibus Sardanapalum, & omnes barbaros æquauit: addita verò impudentia, & sceleris professione ipsum quoque superauit degenerem Abrahamidem; & si hunc crediderim peccasse flagitiosiùs, quia ingratiùs, & minùs excusatè tum senem, sapientem, rerum vsu peritum, Cœlo præcipuè dilectum, & regnantem in populo Dei. Alexandro quædam imputes nescienti propter Religionis diuersitatem, quædam minùs expendenti, aut consideranti propter ætatem. certè vtrumque fauens, *ac* blandiens fortuna *pessum dedit quos* aduersa, *&* contumax *in vestigio stantes flectere à recto, aut loco mouere non potuerat. Enimuerò (quod dicere cœperam) non huiusmodi dumtaxat voluptatis illecebra,*

& impura

& impura libidine victus est, victor orbis Alexander; alia supersunt facinora fœdiora, Crudelitas & Impietas. Notissima sunt, ideoque cursim tangenda; quæ vel inter Epulas fœda, & immania perpetrauit: Marte scilicet, non tantùm Baccho, & Venere vnà discumbentibus. Ille intimos amicorum pro sua gloria, pro suo capite dimicantes Philotam, Amyntam, Attalum, aliosque strenuos Viros, & secum orbis domitores indictà causa trucidauit. Philotam verò æmulorum fraude circumuentum, ne simplici quidem mortis genere passus est interire. Dies, noctesque torquentibus, qui accusarant, miseris modis excarnificatum, & sæpe antea mortuum, quàm in præcordijs latens anima desereret, proiecit insepultum. Insolens illi ante hunc diem, ante hunc hominem crudelitas in cadauera: & qui paulò post mortuo Bucephalo insignem tumulum grandi pecunia erat extructurus; Viro forti à teneris amico, & de se merito exiguum puluerem potuit inuidere. Nam illud excuso, si non cremabant id antea domestici tortores effecerant & ferro, & igni corpore consumpto. Quid illum dicam huiusmet Parentem, non magis in se annis, quàm in Regis meritis grauem! cuius cædem pariter infandam, nec honesta canities, nec liberorum orbitas, nec vim debitum reposcens natura prohibuit. hoc vno minùs infelicem, quòd filij crudelem exitum Pater ignorauit; & sua opinione florentem relinquebat, quem reuera sequebatur antegressum. Ecce autem Clytus altricis filius (fratrem alij vocant) ecce Callisthenes itinerum comes, idem scriptor historiarum, & morum ma-

gister incorruptus. Quorum alteri nihil profuit, quòd lac eodem vbere manantem hausissent, neque quòd Regem ad Grancium amnem aperto capite dimicantem clypeo suo texisset, barbaro gladio iam cadenti expositum, & haud dubiè periturum. Remunerauit egregiè collactaneum, & liberatorem suum Alexander; lac maternum filij sanguine, defensam vitam, illata morte rependens. Fœdum dixerim parricidium: sed parricidij causa fœdior: quia nempe Patrem eius Philippum, eiusque res gestas eximiè inter epulas laudabat. Supra verum dicat aliquis. Fortassè: attamen hoc filio videri non debuit, aut non certè supplicio dignum. potius quanto erat laus amplior, tantò illi gratia maior debebatur. Id quoniam secus effectum est, illorum adiuuat suspicionem, qui scribunt eius opera Patrem Philippum fuisse interfectum. Sed fuit etiam ex alia causa veri parricidij reus Alexander, qui Callisthenem vitæ magistrum, hoc est alterum parentem, crudeliter excruciatum, necauit. Causam! Æquè infandam, & fœdam, vt ceteras. Nempe hominem dolo malo circumuentum, & calumnijs appetitum de medio sustulit, ne quem in Regia relinqueret Virum bonum spectatorem scelerum suorum: habiturus deinceps peccandi licentiam maiorem, & minùs verecundam, si neminem circa se haberet, cuius non solùm monita liberiora, sed etiam loquax silentium, & testes oculos vereri cogeretur. Ergo iræ, superbiæ, aliarumque libidinum laxatis habenis, fortuna obsequente in omnem sauitiam, ac turpitudinem ruere: fracto iam, & expulso, non tantùm remisso moderationis

nis

nis, ac temperantiæ freno. Dixisses non dumtaxat humanitatem, sed planè hominem exuere, ac in bestiarum transire naturam: nisi hoc verius est, In Cacodæmonem, nec ille inficiari transformationem, sed iubere in Deos. Nouus profectò, & numquam antea, numquam post fando auditus per scelera, & cædes, transitus ad Cœlum. Nempe hoc illi apud Curtium Agis, & Cleon dabant. Polypereon ausus irridere vinculis, & carcere damnatus; At Callisthenes seriò ille quidem, sed modestè, ac sapienter dissuadens vltimo supplicio multatur, & conatus Regi adimere stultam immortalitatem, ipse sibi mortem conflauit seriam, acerbam.

Nec illud sanè aut obscurum, aut incompertum est ad talem impietatem, vt viuens pro Deo coleretur, venisse Alexandrum per obsequia Fortunæ *post victoriam, & Persicos triumphos. Antea namque militaribus curis implicatus, & de hostium exercitu delendo, regnique finibus propagandis anxiè cogitans, inter ceteras virtutes, præcipuè Religionem, ac Pietatem colebat, qualem Rex Idolatra vel habere, vel agnoscere potuit. crebra illi sacrificia, & expiationes, & preces ad Patrios Deos: cum quid præsertim aggredi, & incipere arduum parabat. Dijs etiam peregrinis, quorum vel delubra intrabat, vel regiones occupabat, litare consueuerat precatus, se libenter exciperent in clientelam, in hospitium, in regnum. Denique nihil moliebatur inauspicatò, ac non antea Dijs immortalibus consultis. Est in hoc genere mirandum, quod refert Iosephus inter Iudaicas antiquitates. Quo tempore Alexander*

xander Damasco, & Sidone, in potestatem receptis, Tyrum fortius resistere ausam, obsidebat, legatos misit Hierosolymam petentes, vt secum mallent, quàm cum Dario fœdus, & societatem inire; futurum se omni tempore Ciuitati, ac nomini Iudaico amicum, fidelem, vtilem, honestum. mitterent interea omnis generis commeatum, quo exercitus præsenti pecunia redempto apud Tyrum aleretur. Princeps Sacerdotum Iaddus nomine, legatis respondet, iam dudum fœdus ictum Hierosolymæ cum Persis: nefas esse abrumpi firmatum Sacramento. in ceteris futurum se dicto Regis audientem, & venale alimentum militibus abundè missurum. Rex cetera pro nihilo æstimans, incanduit ad repudiatam societatem, & mutui auxilij fidem, homo insolens repulsarum, qui hoc sperasset Iudæos in beneficij loco habituros. Itaque ferox minatus est vbi Tyrum expugnasset, Hierosolymam cum exercitu accessurum, & vnà Vrbem, Templum, domos excidio daturum. Nec segniùs postmodum fecit, quàm prædixerat. Iaddus interim sacrificijs, precationibus, ac ieiunijs Numine placato, admonetur in somnis quid facto opus sit, & quemadmodum Regijs conatibus obuiam eatur. Iam Rex infesto exercitu eò processerat, vt Hierosolymam, ac Templum in conspectu haberet; cum ecce ingentem multitudinem candidatorum, porta egredientium, lentè incedentium, & ad se adeuntium intuetur. Sacerdotes bissino induti ampliter, & pretiosè stolati præibant. Ante hos Princeps ipse Sacerdotum, honestissimis mystarum latera cingentibus hyacinthina stola quoquo versum

sum -

sum auro distincta, & micantibus gemmis radiata conspicuus fulgebat. huic regale capitis insigne, quod Cidarim Persæ vocant, fascia cærulea candidis maculis internitens, tempora, & crines cingebat; super hanc aduersa occurrentibus, & obuiam euntibus aurea lamina sacrosanctum illud Tetragrammaton, Dei nomen ineffabile grandioribus cusum litteris præferebat, simul venerationem, simul horrorem contra spectantibus incutiens. Ad quam speciem (dictu admirabile) consternatus animo Alexander, procubuit, Hierarcham adorauit, Sacerdotes honorificenter excepit, & pium agmen vniuersum humaniter, ac liberaliter complexus est. Ab his, quasi triumphans cum egregia pompa in templum deductus antè aram maximam Deo Deorum supplicauit, hebraico ritu sacrificium fecit, magnum auri, magnum argenti pondus & vasa scienter celata, & purpuream vestem, & Indices tapetas, aliaque Regalis magnificentiæ munera reliquit. Nec publicas tantùm opes honestauit, sed etiam priuatas subleuauit, ciuium commodo seruiens in Virginibus collocandis, in vectigalibus minuendis, in tributis septimo quoque anno remittendis. Ad extremum Sacerdotes, ipsumque Antistitem precatus, vt Deum optimum maximum, quem illi colerent sibi propitium reddere studerent, ad eumque pro suis victorijs vota nuncuparent; hilaritudinis, ac spei plenus ad Darium bello persequendum reuertit.

Hanc potentissimi, eiusdemque infensissimi aduersus Hebræos regis charitatem sic effusam, sic inopinam, mirantibus qui cum illo erant Satrapes

Phœnices, Caldæi, & gentium aliarum; amicis verò etiam rogantibus causam, in his maximè Parmenioni respondit Alexander. Non ego illum hominem, *inquit*, ne erretis: minimè gentium; sed in illo Deum adoraui, qualem sese in somnis mihi ostenderat, bellum Persicum molienti. Speciem, habitum, comitatum animo retenta nunc primùm oculis vsurpaui, & vigilans agnoui; Voces etiam sum visus audire, quibus tunc ad rem aggrediendam, nunc ad persequendam, & strenuè obeundam sum exhortatus. *Te felicem supra omnes Reges, & Monarchas Alexander, si quam ab Hierosolymis tecum extuleras religionem, pietatemque; hanc postea in Perside, in India, in Ægypto retinuisses, & sarctam tectam conseruasses: non haberet orbis terrarum magnitudini, & amplitudini tuæ parem. Romanos nominet mihi aliquis, & Remulum, Marcellum, Scipiones, Cæsares anteponat. Est verò cur auscultem comparanti; Adolescentia tua gentes, nationesque perdomuit immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; & plura terrarum, plura marium spatia vincendo peragrauit, quam non dico illorum, quos dudum nominaui, maturior ætas potuerit, sed quàm quisquam vlla tempestate otiosus peregrinando confecerit. Nec tu quidem consilio bonus, manu autem instrenuus, & parum animo audax fuisti. Argumento sunt pugnæ identidem abs te non minùs fortiter, quàm feliciter pugnatæ. illa potissimùm inter ferocissimos Indorum cum Oxydracas*

Vrbem

Vrbem gentis natura, & opere munitam obsideres, in qua scalis repente diffractis, vnde in mœnium coronam euaseras; temerario fortasse, at intrepido tamen, & fugam quàm mortem magis timente, præcipiti saltu in hostium cuneos, nullo comite, gladio tantùm, & clypeo ferox te coniecisti; & fortè arborem nactus, cui te applicares, pugnæ sociam futuram, tela vndique coruscantia partim clypeo excipiens, partim ramorum obiectu repellens Græcus Horatius Indicum exercitum nulla spe, tantùm robore, & audacia terrebas. Pudere barbaros inclusum mœnibus hostem, impunè præliari, & propellere vnum tam multos. cominus tamen congredi non audere, quibusdam audacioribus alio super alium collapsis, & vallum hosti altè struentibus cadaueribus. Enimuerò, cum subinde hostes inuicem hortantes affluerent, iam ingentem vim telorum exceperat clypeo, iam galeam saxa perfregerant, iam continuo labore fatigatum corpus oblanguerat. Itaque cum in genua procumberet, nè sic quidem victus est: manu prouocans hostem si quis congredi auderet.

Alia huiuscemodi de Alexandro in tantis vitæ angustijs, Latina quoque historia confirmat. si cui sit fides Græca suspectior. Ex quibus facilè colligas non fuisse ad hoc aut Regem quempiam, & Ducem hoc Magno maiorem. Quò est in illo, quàm in ceteris admirabilior, & ad exemplum efficacior, indulgentis Fortunæ *subita mutatio. Nec enim fuerat tam magnus, nec tam celer ad virtutem accessus, quin fuerit altero tanto maior, & celerior ad vitia regressus. De crudelitate,*

litate, atque luxuria satis dictum. De impietate vereor, vt quisquam possit satis. Quid verear autem? tribus verbis detegitur facinus Deus, Voluite Audire. *O degenerem Aristotelis alumnum, & Callisthene morum magistro indignum. Propterea, dicat aliquis, alterum reiecit, alterum occidit. Venire quemquam mortalium doctrina excultum iudicio præstantem, natum educatumque liberaliter eò vecordiæ propter obsequium* blandientis, *atque* adulantis Fortunæ, *vt se hominem esse non meminerit, aliquid se supra hominem haberi contendat, nec sit Angelo cōtentus, transcribi affectet in Deum? Videt se identidem sudare, algere, metuere, sperare, dolere, irasci, ægrotare, multorum ope, auxilio, præsidio indigere: ad hæc videt in omnes, experitur in se imperium naturæ, arbitrium, libidinem, tyrannidem fortunæ. Quid multa? sentit se ipsum, & vires suas paulatim deficere, sensim detrahi vigorem, nec aliud esse alternis exoriri, & occidere diem, noctem, menses, annos, quàm iter, accessumque ad mortem, in quo nemini consistere, aut vspiam requiescere licitum est: nobis etiam dormientibus, vel aliud agentibus, vt quos placida, sed eadem velocia nauigia vehunt, mare decrescit, portus appropinquat: hæc inquam omnia vident, sentiunt, manu tangunt mortales, & se quispiam credere potest factum immortalem? O non dixerim amplius humanam superbiam, & impudentiam, sed impiam, atque sacrilegam fatuitatem! creatura non solùm suaptè natura humilis, & imbecilla, sed etiam sua culpa scelerum labe contaminata, atque corrupta:*

Satis erat dicere Homo: *Creatoris munera vsurpat, cœlestium opes dispensat, facinorosis irascitur, sacrificio placatur, votis damnat supplicantes. Adeò verum est Sapientis dictum.* FORTVNA quem extollit infatuat.

Nimis multa de Alexandro; Quid nunc Iulius Cæsar? Quid Tiberius Nero? Quid Caligula, Vitellius, Heliogabalus, Heraclius, Tamerlanes, Baiazettus, Ænobarbus? Quid verò etiam aliqui Pontificum, Regum, Principum, Procerumque nostrorum? de his equidem si dicere ingrediar, eaque compendio referam, imò nominem dumtaxat, in quibus propter Fortunæ *indulgentiam, & nimis prosperos rerum euentus peccatum est, hodieque insigniter: sed st: ingens iter obeundum sit, via salebrosa, vadis lubricantibus, exitu difficili, aut nullo. Quamobrem certis cancellis calamo præfinitis, hanc iubeo terere communem aream, & calcare semitam priuatam, nominibus parcens, vitia detestans ad corrigendum, non ad exprobrandum. Quàm multos vnusquisque secum tacitus cogitans, atque recogitans, inueniet, quorum parentes, aui, proaui, maiores frugi fuisse perhibentur, suis dediti studijs liberalibus, militaribus, mercatorijs, vt non nimis affluentes, ita nec indigentes copijs ad vitam necessarijs; ipsi autem, & ipsorum filij, nepotesque aliquo casu pecuniam nacti, & amplius aucti vectigalibus,* Fortunæ *humeris in altum leuati, pro modestia insolentiam, & impudentiam, pro frugalitate luxuriam, pro moderatione superbiam, & crudelitatem præseferunt, ostentantque?* Non *indubitanter ipsi etiam modesti, ac frugales*

futuri,

futuri, maiorum suorum recalcantes honesta vestigia, nisi à recto itinere ridens Fortuna *retraxisset, aliamque ostendisset viam ingressu planiorem, amœnioremque, at exitu asperam, præcipitem, funestam. Agè Lector, Vides tu illum magnificè incedentem, serico indutum, auro conspicuum, ferro stipatum, magna circum comitante caterua? Dic adeò rursus, Audistin? quæ ingluuies, ebrietas, ignauia, somnolentia, mulierositas, impuritas, procacitas? Pater illi abstinentissimus fuit, adeoque ad rem faciendam intentus, vt nil esset tam arduum, quod non moliretur, nihil tam sordidum, quod non pateretur, nihil tam nefarium, quod non sibi licitum putaret, vnde in spem lucrandi aliquid venire posset. Nunc diutiùs viuentem, ac numquam cessantem tamen, nihilque illum sibi vindicantem, omnia filio vnico quærentem, quia tantummodò tenacior erat, secumque ceteros domesticos malignè ali, & arctè haberi volebat; omnibus inuisum, nemini dilectum, & cultum, rumor increbuit familiarium dolo sublatum, filio ipso aut curante, aut saltem conniuente. Hoc certè constat, in scalas ex alto impulsum, atque astu præcipitem datum, ex quo casu miser clamitans, & fidem suorum accusans interijt. Ecce alij subinde animis, oculisque incurrentes, quorum voluptati, atque libidini parentum labor, sollicitudo, indignitas seruiere. Nam quia se dominos extemplò relictos, & omnibus rerum copijs paterna non sua cura circumfluentes aspexerunt; virtutis & continentiæ laborioso, atque subaspero itinere damnato; ad contrarium visu iucundius, incessu mollius,*

voluptate

voluptate inuitante, diuitijs suadentibus deflexerunt. Qui si pauperiores, vel non adeò diuites relicti fuissent, vel saltem non adeò diuites, vt se otio dedere possent; coacti aliquam factitare artem, si honestè ac liberaliter viuere vellent, haud dubiè laudabiliùs vitam instituissent, & maiorem pro suis occasionem precandi haberent, quàm nunc habent, & post habebunt imprecandi. Ergo parentes ad rem attentiores, qui amplissima filijs patrimonia relinquunt, quasi lenones videntur liberorum suorum. Non rectè accipiunt, qui tantummodo videri suspicantur: illi rectiùs, qui esse pro certo existimant. Nisi hoc melius habent vulgares pudicitiæ venditores, quòd se saltem rogari patiuntur, nec gratuitis frui noctibus amanti permittunt. Parentes autem liberorum cupiditati sponte lenocinantur, auro insuper affatim relicto, per quod recta in ganeum: si fors ferro, & precibus vires desint.

Verùm enimuerò huiusmodi exemplorum, quibus docemur Prosperam Fortunam *vehementiùs quatere mentem, acrioremque sub pectore tumultum excitare affectuum rebellantium, quàm* Aduersa *facere soleat: plena omnis antiquitas est, nostra etiam, & patrum, & auorum ætas redundat. Quorum aliqua si saltem recordari, atque apud animum proponere velit Iudex non iniquissimus; haud dubito quin causa cadant aduersarij, & lis secundum nos pronuncietur, E re mortalium magis esse si* Aduersa, *quàm si* Prospera *pati cogantur. illis animum intendi ad Virtutem his remitti, & cum impetu ferri ad Voluptatem. per illa flagitiosos plerosque ad sanitatem reuerti;*

per

per hæc fortes etiam ac sapientes ruere ad insaniam. illa depressis ex calice sollicitudinum religionem, pietatem, fortitudinem: hæc tumentibus ex patera deliciarum vanitatem, arrogantiam, & scelerum licentiam propinant. illis multi mentis tranquillitatem, & animæ salutem; his longè plurimi desperationem, æternosque cruciatus debent: ita palàm professi, & contestati ante mortem, in morte, post mortem. Hanc adeò quæstionem mihi præmittere, atque communiter differere visum est, quasi aditum, accessumque futurum ad Illustria Exempla, *quibus postmodum recensendis initium datur. Nec id quidem (sicut ego existimo) minùs accommodatè, quàm plerique alij fecere, per morbos tunc maximè grassantes, vel per Vrbium fœdas direptiones ad amabilem congressum, iucundamque variorum euentuum narrationem transgressi. Occasionem sat opportunam consilio meo, dedit nouissimum, & speramus vltimum Augustæ Patriæ bellum, siue potiùs popularium tumultus contra Paulum III. Pontificem temerè suscitatus. Ante quod tempus Perusina vtcumque vsurpata libertas nunc turpi otio diffluens, nunc turpiore odio dissidens, inde ad voluptates, hinc ad mutuas cædes, vtrinque ad irreligionem, & irreuerentiam Numinum præceps ruebat. Postquàm autem superba ingenia sub iugum missa, & magnis cladibus domita fuere, ammissis omnibus magistratibus, multorum ædibus solo æquatis, clarissimo quoque aut interempto, aut in exilium expulso, ad hæc qui remanserant spoliati armis, & pagorum, Castellorum, vniusque territorij dominio priuati; tanta insuper*

pecunia

pecunia multantur, quantam post Fortebracchios centum spatio annorum, non pependerant. Omitto agrorum vastationes, Villarum incendia, Oppidorum direptiones, bonorum planè omnium extorsiones, quæ singula miseri ciues aut ex propinquo intueri, aut præsentes perpeti cogebantur; nec his tandem finitis vllum præterea respirandi spatium datum. Miseranda facies, & ingenuis animis morte crudelior: aliquot hostium millia in Vrbem recipere, ac de publico alere coacti, hanc videlicet gratiam raptoribus, atque interfectoribus suis reddiderunt. Nec humanis tantummodo corpora, sed cœlestibus etiam supplicijs animas habuere obnoxias, à Christi Vicario sacris interdicti, & palàm deuoti Diris omnibus inferorum. Quæ quidem pœnæ, vt reliquis atrocior, ita in singulos communior, maiore cum luctu à multitudine, præsertim senum, fœminarum, piorumque imbellium excepta est: detestantium contumaciam, atque perfidiam paucorum, qui temerè populum in huiusmodi discrimen, totamque Ciuitatem in excidij periculum coniecissent.

Ac nè singula consecter, quæ à nobis opportuniore loco exposita sunt, quæ ad præsens negotium pertinent, expediam breui. Post Salarium bellum duris condicionibus finitum, & Farnesiam arcem penes nos exædificatam, vel quasi iugum ceruicibus impositum, vel quasi frænum ori applicitum indomitæ genti; Ciuitas nostra tot tantisque cladibus fatigata, & oppressa; tandem aliquando sustulit oculos, & paulatim respirare cœpit in spem erecta (superis adiuuantibus) fortunæ melioris. Exinde namque Nobilissimi quique cum

populo

populo vniuerso coniunctis animis ad cor redire, mentem expiare, templa frequentare, operari sacris, & diu intermissa gregatim repetere munera, & officia omnia charitatis. Quamobrem nobis etiam experimento compertum est, id quod initio proposuimus, & auctoritate Sapientum, argumento illustri, exemplo principum, & fortium virorum ostendere conati sumus, Longè meliùs atque faciliùs ferre cōmuniter mortales Aduersam, *quàm* Secundam Fortunam. *Id ipsum suo etiam exemplo, si quis aliàs vmquam, Augusta patria confirmat, cui quā res* Secundæ *abstulerant, hanc* Aduersæ *reddiderunt* Piam Mentem. *Illa igitur tempestate cum paulatim litteræ quoque armis oppressæ resurgerent, & vnà cum litteris Conuentus, siue Academiæ Ciuiles, Morales, Conuiuales; Vna fuit inter istas, vel potius caput istarum, cui à mentis tranquillitate inditum fuerat nomen; & Academici communiter* Tranquilli *vocabantur. priuatim verò (vti mos est) singuli stemmata, & cognomina sibi confixerant, quibus inter se agentes, & conuersantes crebriùs vti consueuerant, quàm gentilicijs, & suis. Hoc tantùm discriminis inuenio inter hanc nostram, aliasque siue litteratas, siue Ciuiles Academias; quod hi quidem cognomentis vtuntur ferè ab aliquo corporis, vel animi vitio deductis, & se alij* Stultos, *alij* Bizzarros, *alij* Furiosos *transnominant. nostri autem contra Virorum aliqua laude præstantium nomina vsurpare maluerunt, vt* Catonum, Scipiadum, Marcellorum. *Placet idem mihi mos in singulis (vt res feret) appellandis, quem ipsismet placuisse animaduerto.*

In hunc igitur ordinem dispoſita, & memoriæ tradita, ad manus noſtras peruenerunt.

Fortebracchius *Simpoſiarcha, Rex & Princeps conuiuij declaratus.*

Ergaſtus, & Archelaus *ambo æui grandioris, & rerum publicarum egregiè conſulti.*

Neſtor, & Vbaldus *hiſtoriarum, ac rei antiquariæ ſtudio incenſi.*

Pamphilus, & Philander *artium magis liberalium, & Philoſophiæ candidati.*

Fernandus, & Malateſta *Mineruam vultu, & animo, ſed armatam ſpirantes.*

Acceſſerunt Franciſcus Coppetta, & Cæſar Caporalis *uterque inſignis poeta. Qui quidem vltimi omnium in Academiam cooptati, nondum aliud ſibi aſciuerant cognomentum: etſi autem poſt* Regē, *& duos* Regi *propiores tāquam adſiſtentes, ceteri admodum iuuenes, vel potiùs adoleſcentes fuerunt, intra quartū & vigeſimum ætatis annum: tamen omnes proxima clade admoniti, æqualem animi pietatem, verbis honeſtatem, vultu modeſtiam, ac verecundiam præſeferebant. Itaque mirum cuiquam videri non debet, vt ne nobis quidem eſt viſum, ſi tantummodò ſalutis, & animæ ſtudioſi, nō ſemper narrabunt profeſſioni, aut moribus, aut ætati conſentanea: vnum illud ſinguli ſpectantes, vt ſe per* Exempla *inuicem excitent ad virtutis imitationem, & vitij fugam. Præterquamquod homines adoleſcentes à lectione non multum à rerum vſu propemodum nihil periti, ea tantùm referre poterant, quæ cum labore inuenerant cuiuſquemodi forent denique litteraria, ciuilia, moralia, iocoſa.*

Igitur

Igitur habuere Tranquilli *ante bellum, cum res prosperè fluerent, hanc consuetudinem, vt quotannis per dies Geniales, quempiam magis insignem ex suo corpore* Regē, *siue* Præfectum *conuiuij crearent, apud quem interdiu aliquando versari, colludere, fabulari; vespere autem semper conuenire, ac de Symbolis cenare consueuerant. Mensis autem remotis, cum prope ignem consedissent, plerumque inter ipsos tantùm, quandoque fœminis quoque non ad conuiuium, sed ad vigilium adhibitis, canebant, saltabant, fabulas narrabant; & fabulas quidem non tantùm scurriles, mimicas, & parùm liberales; verùm etiam dicaces, obscœnas, & nuda turpitudine, non salibus, & facetijs risum captantes. Hanc igitur, seu similem huiusce relaxandi, ac recreandi animi rationem, anno post bellum secundo, cum repetere vellent; die quodam inter se collocuti, variantibus sententijs, itademum conuenère, vt Vir Clarissimus Ciuitatis, cognomento* Fortebracchius, *Princeps creatus, leges diceret congrediendi, compotandi, confabulandi, quibus neminem contra-ire, aut quicquam repugnare fas esset.* Fortebracchius *cum illo anno Lacum Thrasymenum sex aureorum millibus conduxisset, ideoque necesse haberet quamprimùm, atque quamplurimùm eò se conferre, ibi commorari:*

Commodùm existimo, inquit, *& quoniam Rex sum impero quoque, vt singuli Castalionem perendie mecum veniatis: futuri apud me*

me non hos tantùm, qui supersunt ante Ciner alia pauculi dies; verùm etiam quàm multos vnicuique libitum erit. locum nostis, & personam, & rem. dies etiam videtis, quales iam moriens frigus, & nascens Ver pollicetur. In congressu autẽ, & Narrationibus nostris hæc arbitror mutãda si vobis videatur.

Pro inanibus fabulis Exempla fortium Virorum, aut Illustrium feminarum historica, moralia; sed eadem varia, & iucunda memorantor.

Sales, lusus, ioca, facetiæ liberales intermiscentor.

Obtrectatio, maledicentia, scurrilitas, obscœnitas, procacitas longè absunto.

Feminæ penitus omnes ingressu, & accessu prohibentor.

Cetera, vt olim seruari mos fuit ita conseruantor.

Quid

Quid tã multis opus est verbis? Consilio Regis *probato, legibus dilaudatis, ad iter se accingunt, & ad quam diem* Rex *dixerat, illi antegresso ad Thrasymenum ad Castalionem præsto fuere.*

CASTALIONIS DESCRIPTIO.

PEninsula est quasi Promõtorium rectà in Lacum excurrens, & passuum circiter sesquimillium spatia complectens. Hæc in editum collem sic exurgit, vt tam à fronte, quàm à lateribus in confinia vsque alluentium vndarum descensus relinquat prope æqualiter, nec admodum molliter decliues: at multo autem molliores, lenioresque aditus pateant ab ea parte, qua collis iungitur continenti. Oppidum in summo collis vertice conspicitur natura, & opere munitum. cuius & si sunt scopulis innixa fundamenta, eminentque vetustis constructa saxis in circuitu propugnacula mœnium, ac turrium: tamen ipsum complanato solo firmissimè situm frequentibus ædificijs, & capacibus foris, & amœnis hortulis distinguitur. Inter hæc loco admodum opportuno, tamquam in oppidi vmbilico, ædes tunc erant Principum Balionorum satis magnificæ, vt illa ferebant tempora. Ioannes Paulus incohauerat, filius Malatesta confecerat. Has postea Marchiones Cornei elegantiorem in modum, ac prope in regalem formam restructas exædificarunt. Amplior circa vestibulum siue area, siue platea est, non minus ædium dignitati, & Principum stationi, quàm publicis, & commoditatibus, & vtilitatibus parata. Super cetera oppidi munimenta loco imprimis idoneo, atque conspicuo Arx consurgit, peritiorum

vitiorum Ducum, qui viderunt iudicio inexpugnabilis. Hæc in longitudinem ab Oriente in occasum bis tanto amplius extenditur, quàm in latitudinem à Septemtrione in meridiem. A Palatio longulè distat. cum eo autem duplici traiectu, seu dixerim curriculo iungitur, altero furtiuum, atque occultum ad interiora Domus, altero apertum præbente commeatum ad stabularia; quorum opportuna, & commoda capacitas terga adium claudit. Ædes autem ipsas in Insulam nullis circa ædificijs cohærentem, vel potiùs in Castelli speciem fabrefactas, altitudine superbas, pulchritudine mirandas tria cingunt amœna, spatiosa, & cunctis delicijs referta pomaria. Non illic cedrorum, & arancium (quas vocant) lauro, & myrtho distincta, velut peristromata desideres; non aut florum, aut fructuum, aut herbarum fragrantiam, varietatem, raritatem: non auiaria latè patentia, intra ferreas plagulas, velut liberum carcerem inclusa, & ideo carmine partim festiuo & alacri, partim flebili, nec tamen minùs iucundo aerem mulcentia. In propinquo siluula est ad ipsum Lacus marginem consita, vnde auibus certo anni tempore gregatim transeuntibus, insidiæ tenduntur, opacitate inuitatis, sibilo allectis, visco implicitis captisque, tamquam aduenis infideli hospitio deceptis. Hinc sub æstatem longa exaudias, & iucunda certamina luscinιarum, earum dico, quas nemoris, & earum quas hortuli alit libertas; illa optatior, ista securior; Vtrumque aut planctum, aut cantum ingeminans Echo, sollers, ac fida relatrix prætereuntium, vel circa consistentium aures multiplici suauitate permulcet.

Vt

Vt quamcumque in partem conuertare videns, audiens, olfaciens, mirifica mentem voluptas perfundat; & sensum erroribus fessum variata reficiat, instauretque. Vias imprudens præterij, tam quæ hortulos, quàm quæ oppidum distinguunt, & foras aliò ducunt, latè directas, apricas, amœnas: vt hieme ad inambulandum, & commeandum iucundas, Cœlo quiescente; sic incommodas per æstatem Cancro, & Leone sæuientibus propter æstum, & se Lacu effundentem caliginem. Aquis præterea, & algidis, & salubribus abundant Oppidani, præter quas ad varium vitæ vsum suppeditat Thrasymenus: Porrò quamquam nullus ex arido scopulo fons erumpit, montibus longo interuallo summotis, tamen collis inferiora scatebris emicantia largifluo vndarum rore patentes rigant campos. Vt non temerè Castalionem (sic ego malim latinè quàm Castilionem) Veteres dixerant conditores, quasi sedem Castalidum, hoc est Musarum, & Apolline dignam.

Hæc de Oppido, & Colle toto dicta sufficiant. Sequuntur, quæ circa Collem, & longulè ab Oppido sita sunt. Castalio inter aquam, & terram medius ita constitit; vt non facilè constituas ad vtram magis pertinere videatur, & vtra illum iustiùs sibi vindicet, certantes inuicem cumulare beneficijs, & augere muneribus, aqua suis, terra suis. Perusia Castalionem accedentes ab dextera Lacus, ab sinistra Clusium comitatur. Vtriusque ambitus, siue circuitus par: triginta passuum millia complecti putantur. Lacum Historici Thrasymenum, Poetæ sæpiùs Thrasumenum vocāt, Hannibalis victoria, & Flaminij Consulis

dira

dira clade nobilitatum. Ex medio velut gremio Lacus tres eminent Insulæ. quarum duæ non admodum inuicem distantes in Septentrionem spectant: à circuitu altera Maior, altera Minor appellatæ. Ante annos fermè trecentos, non admodum supra ætatem Bracchij Fortebracchij, desertæ, incultæque iacuerunt; vt Maiorem S. Franciscus sibi delegerit, in qua virgultis, atque arborum ramis tuguriolo extructo, ieiunium quadragenarium transigerit solitarius. Ibi posteri templum exædificarunt illius nomini dicatum. Sodales in præsens colunt, quos à cetera familia Soccus ligneus, & Obseruantiæ nomen distinguit. Ad hæc laribus circiter ducentis habitatur. Nunc insigni Franciscano alumno suo, nobis amico, & Triuenti Episcopo superba. Minorem quoque aurium memoria cultam fuisse satis ostendunt, & templum in cacumine situm, & aliquot circa ædium ruinæ. Nunc infesta serpentibus ferè non aditur: nisi (aiunt) quandoque Saliscamnis, & Circulatoribus Vanenarijs. Tertia circuitu amplior, & incolarum multitudine frequentior nomine Puluesia, sex millium interuallo ab his dissita est, qua parte in meridiem Lacus extenditur. Singulæ autem non amplius mille passuum recesserunt à continenti. Habet præterea noster Thrasymenus, quod haud scio, an alibi terrarum alius Lacus, certè in Italia nullus, quod tantam & longitudinem, & latitudinem complexus; tamen ire volenti littus peruium, aridum, amœnum, & expeditum; tantummodo Pagis, atque Oppidis frequenter interruptum, hoc est ad ceteras commoditates iucundum quoque, ac varium transi-

C tum

tum exhibeat: Vndecumque piscosus. & portubus abundans, vndequaque adeundus, deserendusque sine discrimine. Piscium varietatem, saporem, pondera omitto, de copia non taceo. præter quàm Perusiæ totum annum venalis prostat, verno autem ieiunio singulis diebus certa cuiusque generis millia pondo palàm minimi venduntur: latè per Etruriam, per Picenum, per Vmbriam distrahitur, Romæ quoque in pretio est, nec admodum insano pretio emitur. Nimirum tanta est Lacus fœcunditas, & piscium voluptas, vt in Vrbibus etiam maritimis ac longè dissitis cupidos inueniat emptores. Quid quod auium quoque vt Anatum, Anserum, Germanorum sic abundans est Thrasymenus; vt edulia cuicumque tempori apta non accolis tantùm, sed etiam finitimis largiter suppeditet. Ita pariter aucupes, & piscatores præda onustos dimittit. Vnum ommisi prius ponendum: aut vel in vltimo, sed vt prius. Toto anno certis cuique tempori aptis nauigijs sinè periculo traijcitur. Quod non modò ad segetes, aliaque onera transportanda commoditatem, sed etiam instaurando animo voluptatem, & fructum affert incredibilem.


Hæc nimirum Rex, aut Princeps Castalio ab vndis imperio suo subiectis identidem munera, quasi tributa exigere solet. Quid nunc eidem Clusinum solum pariter subiectum? Nec pauciora, nec minoris æstimanda, siue commoditatem, siue voluptatem inspicere malis. Terra est in æqualem prope longitudinem, ac latitudinem proiecta circuitu certè par intra Lacum, & Clanim antea fluuium, nunc paludem sita. Hæc siue in

latam

latam planiciem explicatur, siue in colles modicè assurgentes contrahitur; eiusmodi speciem oculis, animoque repræsentat, vt non sic ex fœcundo naturæ sinu prodijsse, sed manuum artificio sic posita, sic digesta esse videatur. Solum vbique ferax, & pingue ad segetes omnis generis pariundas, frumentum in primis laudatissimum: cuius plurima modiorum millia quotannis Romam, aliòque per Ecclesiasticam Ditionem circumuehi solita sunt. gleba est præterea, quæ maturis excocta solibus, & copiosis subinde imbribus madens, omnium rerum culturam admittit. Vt si Gargara conferas, aliaque Poetarum fabulis loca decantata, illas verè fabulas possis æstimare, præ quibus verò, ac seriò Clusinus ager abundat. Nec dico tantùm ad alimenta siue hominum, siue bestiarum, in fruges, & pascua campo distributo; sed etiam ad animi oblectationem ingenuam, & liberalem. Præter omnium generum domesticas animantes, quibus nulla est regio feracior: Roma dicat, ad quam muli talibus onusti singulis hebdomadis commeant: damarum, leporum, capreamque siluestrium tanta est copia, vt sæpe inopinantibus, & alia cogitantibus intercurrant Viatoribus. Vt quæ alibi laboriosa est, ac sæpius infelix; hic semper facilem, semper felicem obiturus sis Venationem. Postremò Clusium totum, quà frequentibus Villis valdè opulentis, quà priuatorum ædificijs iuxta commodis, & elegantibus, modico interuallo distinguitur, & respondet genio loci humanitas, liberalitas, festiuitas incolarum. Vt quamcumque in partem, vel negotij, vel animi causa iter intenderis, passim occurrant fessis

venatoribus gratuita diuersoria, delicatis aulicis voluptaria confessiones, fabulationesque; omnes denique cum multo verborum honore, ac vultus hilaritate suscipiantur, & læti cum ruralibus munusculis domum dimittantur.

Fratres *igitur (quos dicere incœperam) siue* Sodales Academici *sub noctem ingressi Castalionem, ab suo Principe comiter excepti, ac primùm lepidis sermonibus apud ignem exhilarati, dein dulcibus epulis, & forti Baccho præmuniti, cum occiso iam die diurnum laborem, curasque omnes alta nocte demersos in vsque reductam lucem sepultas tenuere. Iam cum garrulæ aues renascentem Auroram solemni gratulatione salutarent; strenuè lectulis desertis, curatisque corporibus; Sacrificio matutino, quod* Pamphilus *litabat, vnus ex eorum numero Sacerdos, interfuerunt. Reliquum diem solito magis nitentem, hoc est Veri, quàm hiemi similiorem, apricis ambulationibus, & tentata potiùs, quàm obita venatione consumunt. Donec sub vesperam in conclaue à strepitu domestico remotum, & ad hanc rem mirè accommodatum, ex* Regis *Imperio (vt olim Perusiæ solebant) singuli conuenere. Ibi cum ad lucentem flammam consedissent, ceteri sellis æqualibus,* Rex *paulùm altiore, tamquam in solio, commodùm facto silentio, & legibus narrandi recitatis, hunc planè in modum exorsus fertur* Ergastus.



THRA-

THRASYMENVS
siue
ANTOLOGIAE
Illustrium Exemplorum.
DECAS PRIMA.



Exempli Primi
Argumentum.

Nicephorus, & Sapricius fraternè amant inter se. Oritur ex leui causa grauior simultas. Nicephorus se submittens omni ope studet placare iratum Sapricium. sed frustrà. Ducitur Sapricius ad gladiũ pro confessione Fidei Christianæ. Nicephorus illi ad genua supplex procumbit, pacem implorat. Reicit Sapricius amicum supplicantem, & mox ille supplicat Idolis, pro Martyre factus Apostata. Nicephorus in locũ amici succedens Martyrio coronatur.

Quandoquidem mea heri vesperi sors prima comparuit, quæ me hodie iubet in hoc nobilissimo

congressu principium facere narrandi, nec vllum tamen præscribit, aut definit narrationis argumentum; cogitaui ad multam noctem cuiusmodi statuerem aut exordium, aut ingressum huic nostro instituto magis conuenire. Ad extremum tempora ipsa, per quæ Ciuitas nostra multis iamdudum agitata discordiarum procellis, in hoc tandem tranquillitatis, & Pacis portu conquiescit, me in hanc sententiam impulerunt, vt de condonãdis iniurijs verba facerem, nec aliò quàm Pax aditum nostris colloquijs aperiret. Sumus enim Perusini (sumus Malatesta, *sumus* Fernande*) ferociore ingenio, quàm nobis expediat; & ad vlciscendum quàm ad ignoscendum proniores, vt hæc potissimum nobis domanda, & tanquam fræno clementiæ coercenda esse videatur cruoris hauriendi furiosa libido. Si quis autem hoc audito, quod nos in præsens narrare aggredimur* Exemplum, *non commouetur, nec illicò erumpit ad pacem cum inimico faciendam; eum ego cum ferocibus bestijs, non cum ingenuis ac liberis hominibus crediderim posse conferri. Accedit ad priuatam rationem nostram (id quod primùm ponere oportuit) publicum, ac generale præceptum, seu mauultis consilium atque consuetudo Saluatoris. cui quidem vel aduenienti, vel recedenti, vel occurrenti, vel cum quouis agenti semper primum, & semper vltimum in verbis locum* Pax Pax *occupabat. pro eo quod veteres Latini* Salue *in accessu,* Vale *in recessu benè precantes, vel benè augurantes dicere solebant.*

Anni



Nni erant ab redempto genere humano circiter ducenti & ſeptuaginta imperãtibus Romæ Valeriano,& eius filio Gallieno. Cum Antiochiæ duo nobiles Viri,occultè Chriſtiani, alter laicus nomine Nicephorus, alter Sacerdos nomine Sapricius. Viuebant inter ſe adeò familiariter, quaſi ex eodem eſſent geniti Parente. Præcipuus autem vtriuſque ſcopus, & labor erat abolere impios cultus Idolorum, & omnibus viribus propagare, atque augere Chriſtianam Religionem. Nec interim deſiſtere vterque à miſericordia, continentia, liberalitate, alijſque Chriſtianis virtutibus cum omni affectu, & charitate excolendis. Horum igitur tam honeſtum,& pium conatum,progreſſumque inuidens perpetuus Eccleſiæ hoſtis, & perſecutor Sathan; omnia captabat momenta, diurnis pariter, atque nocturnis dolis, vt ſereret inter eos aliquid diſcordiarum. Norat vtrumque moribus optimis, vita integra, conſtantes, & pro fide ſanguinem effundere paratos. tamen ſagaciter animaduerterat Sapricium natura eſſe ingenio facili ad ſuſcipiendam offenſionem, duro & difficili ad deponendam. id ex eo potiſſimum accidere, quia pluſculum ſibi & iudicio ſuo tribuebat: nec facilè aut ſuadentes, aut hortantes patiebatur; obſtantes vero, &

repugnantes multò difficilius. Contrà Nicephorum ingenio esse simpliciorem, sed ore ad periculum vsque interdum libero & dicaci.

Quanam ex causa tandem, Diabolo serente, primùm dissensio quædam,& altercatio inter eos fuerit orta, quæ paulatim in simultatem, & in odij speciem eruperit; incertum est. Dicunt aliqui ex differendo (vt fit) super cenam de re haud magni momenti, quam tamen auctores tacent, quibusdam alijs vnà discumbentibus, inter hos duos ortum certamen verò nè an falsò diceretur illud problema, quod temerè fuerat inductum. & altero aiente, altero negante, vtroque pertinaciùs, rem eò fuisse deductam, vt Nicephorus inter cetera iterùm iterumque Sapricium in sermone perstrinxerit,eam illi adimens ingenij, & prudentiæ laudem, qua ille plurimum sibi placebat. accessisse, quòd sodales planè omnes Nicephoro assentiri videbantur, & esse à Sapricij sententia longè discrepantes. Ex quo ille non nihil insultare, hic acerbiùs irasci,& excandescere cœpit. Quicquid fuerit,hoc certè constat inter antiquarios, post primum illum dissidij diem,dies plurimos consequentes, contrà Domini præceptum in iracundia perstitisse obfirmatiùs,& vtrumque vtriusque non modò congressum, consuetudinem, sermonem; sed etiam adspectum, atque occursum fugere solitos. Nihilominus

nus ambo rei Christianæ operā nauabant, hospitalitatis officia colebant, diurnis nocturnisque precationibus insistebant, omnia denique pietatis, ac religionis opera edebant, sicut antea facere consueuerant. hoc tantùm erat discriminis: vterque diuersi, alius alibi curabant: non vt antea, coniunctis laboribus animisque. Mirum est, primùm iracundia, & insania, deinde obstinatione quadam, ac pertinacia sic occæcari animos humanos, vt in clarissima luce versantes, atque adeo in ipsum lucis fontem oculis intentis, se ipsi non videant tamen, neque agnoscant peccatum suum.

Interiecto tempore, post mensium aliquot obscuram, & turbidam tempestatem, Nicephoro primùm diluxit, facem Domino præferente in illis Euangelij verbis, ad quæ ingens piaculum est cæcutire Christianas mentes. Non pigebit ea referre, tametsi vulgatissima sunt, & frequenter in templis cantata. *SI dimiseritis hominibus*, inquit Dominus, *peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Item *CVM stabitis*, inquit, *ad orandum dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui in Cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Illud verò intentiore cura expendere cœpit, quod quotidie ad Dominū oramus Christiani, petentes, repetentes vt ad eundem

modum nobis Pater peccata condonet, quo nos modo inimicis noſtris iniurias condonamus. Per quæ verba non cæleſtem benedictionem nobis precamur, ſed potiùs maledictionẽ imprecari videmur, & diuinam iram in noſtrum caput deriuare: ſiquidem nobis ita volumus ignoſcere Deum, vt nos alijs ignoſcere ſolemus. At enim nos non ignoſcimus. ergo ne nobis ignoſcatur hoc à Domino precamur. Talia dicentem ac diſſerentem *Ergaſtum*; *Rex Conuiuij Fortebracchius*, interpellans, Videte, inquit, quemadmodum homo ficarius, & in odio pertinax hunc ſcopulum vitabat. Cui cum ego perſuadere non poſſem, vt cum ſupplice inimico in gratiam rediret, eundem verò audirem manè murmurantem Pater noſtros: Mi homo, inquam, intelligis quæ dicis. Annuenti, & aienti ſubiungo: An non vides quemadmodum ipſe tibi malum precaris? porrò Dominum rogas vt remittat tuas culpas, quemadmodum tu alienas, ideſt neutiquam remittat, quia tu non remittis. Ego vero, reſpondit obſtinatus, paulò immuto precationem hoc pacto, *DIMITTE nobis debita noſtra propter magnam miſericordiam tuam.* Riſerunt, & irriſerunt amentem hominis pertinaciam Viri elegantes; tum ſic iterum *Ergaſtus*. In huiuſmodi verborum contemplatione iterùm atque iterùm defixus Nicephorus, cæleſte metuens interdictum, conſtituit ſibi eſſe laborãdum,

vt cum Sapricio in antiquam gratiam rediret, idque quamprimum. tametsi redibat subinde ad animum ea cogitatio, si prior ipse ad Sapricium mitteret quempiam de communibus amicis, vt tanquam sua sponte, non cuiusquam rogatu pacem inter ipsos reconciliare studeret; haud dubiè futurum, vt vulgò ipse timiditatis & parui animi crimine accusaretur. Accedere, quòd causam suam facere deteriorem videtur, & se vltrò confiteri criminis reum, si quis cuiquam ostendat se cupidum redeundi cum inimico in gratiam. Facit autem ingenitus cuique proprius amor sui, vt culpas hasce contentionum rixarumque semper ad alios deriuemus, ipsi nobis & superbiæ nostræ nunquam censeamus esse tribuendas. Quòd si aliquando tandem agnoscimus nostram culpam, & taciti apud animum confitemur, nosque ipsi sponte accusamus: tamen hoc palàm profiteri, & vltrò ea gratia supplicare inimico perfectæ cuiusdam virtutis ac sapientiæ videtur. Erat adhuc Nicephoro impeditior & difficilior deliberatio, quia illius dissidij maiorē Sapricio, quàm sibi culpam assignabat, iudex minimè audiendus in propria causa. tamen ipse ita sibi persuaserat, & id Sapricium censebat facere oportere, quod ipse moliebatur, vt prior supplicatum veniret.

Ad quas iterùm iterumque cogitationes reuolutus, & quàm cum maximè du-

bius consilij Nicephorus, ad Consiliarium longe optimum, & fidelissimum confugit, deuotam, atque intentam Orationem ad Deum. In qua totum sese permittens Diuinæ volũtati, & enixè Dominum rogans, vt propter ipsius sacrosanctam Natiuitatem, cuius forte solemnitas appetebat, non grauaretur eis se laqueis expedire, quibus adhuc tenaciter animus hærebat. Vtrum, inquit, prior offero iustissime Iudex pacem inimico meo, an illum expecto, qui prior læsit iniuria? Nõ ita diu post visa hæc auribus vox intonare, vt scrutaretur scripturas. in his enim pręcipere Dominum, & palàm ostendere, quid vnumquemque conari & efficere æquum sit. Sumpto igitur in manus Euangelio, liber sua sponte patefactus, hæc oculis haurienda, & menti excutienda subiecit Dominica verba, quæ apud Matthæum leguntur Capite quinto. *SI offers*, inquit, *munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Quibus pellectis, & pensitatis, non dubitauit Nicephorus (quanquam erat vir melior, quàm eruditior) hoc sibi præcipere Dominum ac Redemptorem suum, vt vltrò appellaret de gratia reconcilianda iratum sibi Sacerdotem, cum eo etiam si prior læsisset Sacerdos: nec ante auderet celebrare instantes ferias Natales,

quàm

quàm mitigasset, atque amicum sibi reddidisset antiquum sodalem. Factus igitur per ea constantior, atque alacrior vadit sponte ad communem amicum (Honorio erat nomen.) atque hic non semel vtrumque nunc castigando, nunc exhortando, nunc liberiùs monendo tentauerat veterem inter eos gratiam reconciliare. Frustra cum vtroque: tantùm lenior aliquando erat visus Nicephorus; asperior semper, atque obstinatior Sapricius. Hunc verò in præsentia nullo negotio placatum iri existimabat: imò adeò censebat insuper gratias acturum, quòd Nicephorus vltrò illi mitteret supplicatum, nec tam pacem, quàm veniam ab eo cuperet impetrare. Sic enim planè Honorio Nicephorus, Posce, inquit, Sapricium veniam meis verbis; & roga instanter si quid ego aut fecerim vnquam, aut dixerim, quod ei ægrè fuerit, vt mihi libens ignoscat propter Christum Redēptorem, atque Magistrùm nostrum, qui remissionem iniuriarum verbo suasit, præcepto sanxit, & ostendit exemplo. Nec Nicephorus ipse, nec Honorius deprecator, nec omnino quisquam sodalium Christianorum, quibus pariter simultas cognita erat, & causa simultatis existimasset illis machinis fore opus ad animum Sapricij expugnandum. quippe quem omnes putabant verecundia quadam (superba fortasse: humana tamen) esse retentum, quominùs prior se summitteret

teret rudiori eruditus, laico Sacerdos. ceterum fratris humilitate perſpecta, vltrò veniam precante, non dubie futurum, vt preces erubeſceret, atque id tantùm ſerò doleret, Non occupaſſe.

Verùm enimuero longè aliter acta res eſt. Expoſitam ab Honorio Nicephori ſummiſſionem, atque humilem precationem ſuperbus Presbyter indignans reiecit, & ſe nunquam cum eo in gratiam rediturum eſſe affirmauit. ignorare Nicephorum eſſe odia vinis ſimillima, ex dulciſſimis aſperrima. tantùm polliceri ſe acceptas iniurias non vindicaturum, nec verbo vnquam læſurum, ac nè nominaturum quidem. congredi, conuerſari, vnà eſſe cum eo penitus nolle. alios inueniret minùs honeſtos, quibus inſultaret, quos palàm contemptui, ac ludibrio haberet. Non ceſſauit ab officioſa deprecatione pariter pius, & intelligens Honorius. datoque ſpatio incandeſcenti Presbytero ad iram in querelas effundendam, & diſſipandam: ſagaciter in ſermonem regreſſus; At ego, inquit, non differam tecum Sacerdote, alios ſolito inſtituere, ac docere Chriſtianam philoſophiam: Sit, inquam, neceſſarium necnè ad ſalutem, & Dei gratiam conſequendam, pacificari cum inimico, ideſt pacem cum illo facere, litterarum etiam, ac teſtium interuentu. hoc dicam, quod planiſſimè conſtat etiam illitteratis, & in dubium reuocari non po-

teſt

test,homini Christiano necessum esse condonare iniurias, nec solùm non vlcisci,sed etiam benefacere inimicis. *DILIGITE inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos*, ait Dominus præcipiens. dico præcipiens, non tantummodo suadens, & in nostra relinquens potestate. Id ego præter interpretationem Sanctorum Patrum, præter morem in Ecclesia retentum, præter tot Martyrum, imò ipsius Saluatoris exemplum; colligo etiam ex illo quasi exordio, & verborum contestatione, quam Dominus præmittit, *AMEN AMEN dico vobis*.

Hæc aliaque consimilia non tacuit Honorius. maximè autem exaggerauit de scandalo, ad quod piæ mentes impingerent, pro exemplo religionis & pietatis, quod ab eo capere Neophyti deberent, viro spectabili, iam natu grandi, & Sacerdote. Ad quæ singula nihil vnquam respondit aliud insipiens ille Sapricius, quàm scire sese quid homini Christiano & Presbytero conueniret: satis sibi esse curæ de sua salute: nihil eiusmodi nunc quidem indigere monitoribus: cum Nicephoro in summa & Nicephori similibus nihil velle commune amplius: congressum, colloquium, occursum sibi odio esse, ac semper fore. irent, sentirent, facerent quicquid eis libitum esset: sufficere sibi, quam Deus cerneret conscientiam suam. Quæ cum Honorius ad Nicephorum aliosque

conscios

conscios sodales retulisset, par omnibus non solùm ægritudo, & mœror; sed etiam admiratio incessit, quòd præter omnem opinionem & spem obuenisse videbatur. At non propterea despondit animum Nicephorus. alterum atque alterum mittere constituit, Sapricio magis familiares, & sui pariter amantes: at non magis quàm Honorium felices Oratores. missi enim alter post alterum, & cum omni affectu opera nauata; nihil à Sapricio amplius retulerunt, quàm quod retulerat Honorius. Erat admirabile: quantò illinc obstinatio, & pertinacia negandi; tantò hinc humanitas, charitas, humilitas crescebat implorandi. nec iam pro sua tantùm, imò nihil amplius pro sua, sed dumtaxat pro fratris salute sollicitus erat Nicephorus. Itaque prius Dominum ex animo precatus, vt sibi subsidio esse vellet rem ipsius agenti, fratremque per deuia errabundum conanti reuocare ad ipsum, qui Via & Veritas esset: nihil cunctatus ad Sapricium ipse contendit. inuentumque solum domi, vt cupiebat, sub horam exeundi ad sacrum in proximo faciendum, in genua procumbens, vbertim lacrymans, & ex alto suspirans, diu impotens loquendi, sic ad extremum affatus est. Peccaui frater animo meo carissime in Cælum & coram te. Debui modestiùs loqui, & reuerentiùs agere rudis cum erudito, iuuenis cum seniore, laicus cum Sacerdote. Sed adeò nulla est

apud

apud Chriſtianum, eumque populi Parentem excuſatio iuuentutis, ebrietatis, incogitantiæ? Nihil nè in vetere quidem, & pluſquã fraterna neceſſitudine opis mihi relinquitur, iam non dico ad gratiam recuperandam: fuerim hoc iure priuatus, quam ſtultè amiſi, & repetendi habear indignus: dico ſaltem ad veniam impetrandam, quam hoſti hoſtis ferro armatus, ira feruidus non negat imploranti? Memento amice idem antea mihi & Magiſter & Pater, quàm non ſemel ipſe docueris, & in commune ſodales noſtros, & me priuatim, qui habebar inter eximios, Chriſtianam profeſſionem in eo potiſſimùm poſſe gloriari, & extollere ſe ſuper ceteras, quod non ſolùm parcit inimicis, nõ ſolùm ſponte condonat iniurias; ſed etiam iubemur Chriſtiani benè velle maleuolentibus, benefacere maleſacientibus, & orare pro illis etiam, qui nos perſequuntur & infamant. Hæc ſatis apertè Cæleſtis ille Magiſter ac Dominus imperauit: tamen ego propter meam tarditatem haud ita eram intellecturus, niſi quiſpiam repetens explicaret. tu mihi opportunus contigiſti, & verborum explanator, & factorum imitator. venio nunc non immemor diſcipulus ad amabilem Magiſtrum dictata redditurus. & videbor indignus, qui excipiar, qui auſculter? fac memoriæ, fac induſtriæ, fac animi periculum. ſi quid pecco, ſi quid hæreo inter recitandum, inter audendum;

denique

denique si facio segniùs quàm me docuisti, non deprecor supplicia, virgas expedi, plagas impinge. potes etiam securim. & erit mors optabilior, si te sanguis restituat placatum.

Multa huiuscemodi lacrymans,& obtestans, & genua complectens Nicephorus orabat. non est tamen ad ea quicquam commotus, aut mitior factus Sacerdos, ac nè vnum quidem verbum contra effatus, sese proripuit, & in interius cubiculum abdidit, non facturus eo die rem diuinam vt constituerat, nec ante prandium domo exiturus ad solemnia pietatis munera obeunda. Sic reuertitur ad penates suos,æger animi Nicephorus & consilij penitus expers. tantùm spei aliquid superesse, vt hominem suæ superbiæ admonerent, ac cælestem formidinem incuterent propinqui Natiuitatis Dominicæ solemnis dies. cetera non videri vrgendum, neque tangendum amplius in præsens. iracundiæ,quam obstinatio aggesserat per cõtinentes congressus, dandum esse spatium, vt se paulatim dissiparet per silentium. Ergo dum expectatur beneficium temporis, orta est Antiochiæ ingens & crudelis persecutio aduersus omne nomen Christianum. Misère Imperatores Valerianus & Gallienus ab Roma nouum Proconsulem, siue Præfectum ad Antiochenos in vetere Idolorum cultu,& religione continendos. si qui autem ad Christianos descissent, hos pri-

mùm

mùm blanditijs,deinde tormentis reuocare studerent. perseuerantes vt in exilium agerent,aut securi percuterent. Ecce presbyter Sapricius inter primos accusatur, quem domi nobilem, annis grauem, Sacerdotio insignem, adspectu venerandum Proconsul humaniter excipit,benignè appellat,rogat professionem: ac si forte Christianus sit, Principis ostendit edictum. Sapricius nihil commotus, sereno & hilari vultu, Ego, inquit, Christianus sum, paratus pro nomine IESV contumelias, tormenta, & mortem perpeti, quanto acerbiorem,tantò magis iucundam mihi futuram. Nec dixit constantiùs, quàm fecit. fustes primùm,deinde pilas ferreas, postremò eculeum fortiter tolerans, damnatur ad gladium, die postero ducendus ad supplicij locum extra ciuitatem.

Famam rei tota vrbs cum formidine audierat, cum laude celebrabat. Nicephorus tunc vt cum maximè cupiebat in gratiam cum illo redire, cui fors tam optanda contigisset inter Martyres posse censeri. Nec iam dubitabat quin Sapricius ad tantum honoris gradum mox extollendus, omnem leuitatem, & animi offensionem abiecisset, sponte forsitan accessurus nisi compedes tenerent, ad gratiam secum reconciliandam. Manè igitur ex carcere prodeunti,& inter milites lictoresque lentis passibus ad supplicium eunti, pius Nicephorus præsto fuit, & in genua prouo-

lutus

latus, O, inquit, IESV Christi Martyr beatissime, quantùm gratulor tibi purpuream coronam, ad quam es vocatus capiẽdam; tantùm te rogo; vt recorderis mei, quem relinquis militantem. peccaui olim aduersum te pœnitet pigetque, condona liberaliter iniuriã, & libens ignosce supplicanti. Non est credibile narratu, & est æquè difficile ad conijciendum, quid illi misero venerit in mentem. Adeò commotus non est, adeò nihil homini respondit, vt etiam truci vultu aspexerit, atque ab se reiecerit cum fastu; facilè vt apparuerit, non esse in illo proximi dilectionem, & Domini charitatem. Nihilominus ad mortẽ pro Christi nomine subeundam homo properabat. Quid est hoc Domine, quid est hoc? Vult aliquis mori pro te, non vult parcere fratri propter te. Nunc intelligo miser quàm durum nobis dederis præceptum, vt eos amaremus, qui nos odissent. possumus in tuam gratiam amare martyrium, non possumus non odisse inimicum.

At hunc Sapricium nulla res excusare videtur posse. Primùm amico fuerat iratus, & diu fuerat ob noxam minimè capitalem, quæ certè intra verba steterat, ad factum non eruperat: nec pro ea remittenda quicquam illi aut laboris, aut pudoris fuit subeundum. habet antè pedes prostratum, vltrò veniam petentem & sibi supplicantem. Credo poterat homo suspicari, nè sua ipsius causa veniam Nicephorus.

implo-

imploraret, quia Sapricium metueret mox moriturum. an Sapricius vltionem coquebat, morti destinatus? Non venire illic in mentem, nec venisse antea sæpè Christiano Sacerdoti, & viro erudito, quid Dominus præcipiat, quid Apostolus repetat de iniurijs inuicem donandis, de concordia fraterna, de necessitate charitatis? *SI tradidero corpus meum ita vt ardeat, charitatem autem non habuero; nihil sum*, ait Apostolus. Mirari circa stantes, & obiurgare ministrī rerum capitalium, alterius importunitatem, alterius contumaciam: eo quòd vterque incassum laborare videbatur, ille quia veniam peteret à morituro, hic quia quicquam negaret moriturus. Quamobrem pariter à iudicibus, & ab ipso reo explosus Nicephorus, è conspectu protinus abire, ac viam euntibus cedere coactus est re infecta. Sed ille Dei plenus & fraterna æstuans charitate, gnarus viarum in proximo circumducitur, & iterum atque iterum occurrit venientibus, seseque proijciens in genua totus lacrymis madens, per IESVM Christum, per Deiparam Matrem, per omnes Cælites obtestatur, vt sibi parcat, & omne debitum remittat, illius secutus exemplum, pro quo moreretur. nec vnquam tamē à Martyre obstinato, superbo aut vocem expressit, aut lenē impetrauit coniectum oculorum. Negares ire ad mortem pro eo, qui sic clamat, *DISCITE à me, qui mitis sum & humilis corde*. Mouebant Chri-

stianis

ſtianis multam commiſerationem, ethnicis odioſam moleſtiã, vtriſque parem admirationem imò ſtuporem potiùs, qui ſic inſtabat, qui ſic affirmabat.

Ecce ventum eſt ad ſupplicij locum: reus in medio ſtatuitur: iudices in conſpicuo ſedent: turba circúmfunditur. Ecce iterùm perturbans obuios, & moliens in populo viam, ab latere ſe oſtendit Nicephorus. Ibi rurſus quàm humillima fieri potuit ſupplicatione, obteſtatione, charitate, humanitate deſignatum Chriſti Martyrem obſecrabat, iam nihil aliud, quàm vt palàm ignoſcere ſe fateretur: pertinere ad exemplum, vt verbis confirmaret, ac ratam faceret, quam ſine dubio animus dabat veniam & pacem. Chriſtus ad memoriam rediret moriens morituro. is tortoribus & inſultantibus vltrò ignoſcit, & veniam precatur: tu amico & fratri, & ſupplici negabis? agè non potes, aut non audes imitari paruus diſcipulus, maximum Magiſtrum. Diſce à condiſcipulo, Vir ab adoleſcente, Presbyter à Diacono, Sacerdos à Leuita. Stephanus pace non orantibus conceſſa, ſed imprecantibus oblata, torquentibus vltrò ingeſta, imò recuſantibus implorata, & vel inuitis exorata, Cælum patens ingreditur: adornans opima ſpolia mox Duce hoſtium adducendo in triumphum. Ego genuflexus, & ſupplicans, & lacrymans oro frater fratrem, imò filius parentem; & homo peccator

virum

virum perfectum, mox ad Martyres iturum, vt tantùm ignoſcat, tantùm benedicat. Si lingua cor placatum indicare dedignatur; at frons, oculi, vultus mihi loquantur, & ſpem faciant reconciliatæ voluntatis. Hoc ſi ſaltem ſolatio mœrentem animum lenieris, nō putabo penitus contēptui, ac ludibrio fuiſſe precationes meas. Non dubiè ſpes aliqua ſalutis affulgebit alacrior meæ, ſecurior tuæ. Infelicem ac miſerum me! quid iſti toruum oculi reſpiciunt, & frons tempeſtatem, os fulmina minatur? Hic quaſi telo ictus procubuit ſemianimis, & ſimilis expiranti bonus Nicephorus. Pij ſodales humi leuatum ſuſtentantes, ac fouentes paulatim vitæ reddiderunt.

Rebus interim comparatis, quæ ad ſupplicium pertinebant, oculis omnium, animiſque ſuſpenſis; Agè, inquit carnifex, procumbe in genua Chriſtiane Vir: & qui olim Deo tuo feciſti Sacerdos, nunc cade victima antè noſtros. Cui Sapricius tunc demum in perniciem ſuam loquax, Cur me, inquit, occidere paratis ò boni Viri? Nempe, Carnifex reſpondet, quia tu contempto Cæſarum edicto negas cultum deis immortalibus: & nunc ideo ſacrificaris ante ipſos, quia ipſis non ſacrificas. Ego verò, ſubiunxit illicò Sapricius, iam ſacrifico: ictum reprime, gladium reconde, vinculis exue; veſter ſum. Nec dictum res morata. conceſſu iudicum ſoluitur, abſol-

abſoluitur, ducitur ad ſacrificandum. Ibi verò ad ſe dudum reuerſus Nicephorus, contineri non potuit, quin per medios rurſus erumperet ad transfugam, eique pium faceret conuicium, conatus à tam grandi flagitio deterrere. O, inquit, Frater amabiliſſime, ò Pater venerande, ò Sacerdos, & Martyr Dei, quò nunc obſecro conuerteris, & quorſum intendis fugam? Bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſeruaſti, quid nunc renuis accipere coronam iuſtitiæ, quam laboribus & ſudoribus tuis ſummus Imperator deſtinauit? Ecce hoſtes profligati ſunt, ceſſere tormenta, laſſati eculei, Prætor deſperatus. quid nũc ſupereſt amplius, quàm vt ſtrenuè capeſſas victoriam, & ducas triumphum? Potuiſti tot cruciatus, & tam acerbos, quaſi longam mortem ſufferre tamdiu: & hanc perhorreſcis leuem, celerem, momentaneam? ſed ita momentaneam, vt ab ea pendeat æternitas. Iſta eſt mors duriſſima, quam tu eligis, non quam relinquis infelix. Verùm enimuerò Frater, quia te non falſa opinio virum eruditum, nec certa electio pium Sacerdotem, ſed contentio quædam, certè pertinacior, ſed tamen humana hominem feſellit: & te iuſtus ille Paterfamilias iccirco deſeruit, quia tu fratrem deſeruiſti, abdicaturus ſi perſeueres, ignoturus ſi fortè reſipiſcas, & cum fratre in gratiam redeas: generoſe Vir, Chriſtiane Sacerdos, condona libens iniuriam,

iniuriam, & pignus fidei præbè dexteram, antea ligatam, nunc peius solutam. Mox ego (nè vereare) fraternis manibus mihi placatis grata hostia parentabo. Sequar actutum si præcesseris: anteibo si resistis.

Hæc Nicephorus palàm vociferans, & vbertim lacrymans, ab obstinato presbytero nec verbum, nec gemitum, nec vllum mitigati animi signum exprimere potuit. Quamobrem lictoribus submouentibus, & vltra accessum negantibus, clamare cœpit, EGO *Christianus sum: deos vestros contemno: nec vllum do aut cultum, aut honorem idolis: illam dico profiteor veram & solam religionem, quam desertor iste ac proditor exerauit. Ergo illius purpurea corona, illius pretiosa supplicia mihi debentur.* Mirari omnes periculosam illo tempore confessionem. Mirari generosum animum, & pro sua Fide sanguinem fundere paratum. Ne multa: Rem Præses docetur, & quod fieri debeat exquiritur. Ille sic respondet. SI vterque perseuerent, Sapricius Deos adorare, Nicephorus negare: pretium esto alteri subita mors, alteri libertas. Ita per iudices quæsitum, repertum, iudicatum, effectum est. Sapricius tot fortiter obitis tormentis in militia Christiana; tum cum dies aduenerat victoriæ potiundæ ad castra hostium transfugit pro Diabolo pugnaturus, qui—cum obstinatione pugnabat. Nicephorus quantò mitior, tantò fidelior &

carior Imperatori suo miles, hoc vno incepto fortiter patrato (felix!) vno die hostem superat, cum Domino triumphat.

DECADIS PRIMÆ

Exemplũ Secundum

Argumentum.

Martius Cinellus ab inimicis dolo trucidatur. Prosperus eius frater continuò rogatus pacem facit. Secuta ob id ingens indignatio & obiurgatio propinquorum. Prosperus præcepto Dominico se tuetur. Interfectorum & his fauentium ingens cædes editur in vindictam.

Mirati admodùm sunt, at non admodùm miserati nobiles & ingenui Sodales *insanam obstinationem Sacerdotis. Tum* Rex *conuiuij* Fortebracchius, *Non est dubium, inquit, fortissimi iuuenes, quin istum hominem superbia pessùm dederit. Vt est omnium virtutum bona custos Humilitas, quam Ethnici vel non satis agnoscebant, vel agnitam in vitio ponebant. Ibi ad* Pamphilum: *Ille, inquit, Nicephorus fortassè fuit importunior, quàm debebat. Sineret ire ad Martyrium, nec illi negotium facesseret inter eundum. potuit Martyr esse Sapricius, hic si cessasset, si latuisset. cur se toties obiecit odiosum?*

Id

Id verò existimandum non est, inquit Pamphilus, *posse quemquam Deo placere, in quo charitas Dei non sit. esse autem in eo pectore charitas Dei non potest, vnde amor proximi fuerit extrusus. Fecit igitur piè Nicephorus, extinctam moliens accendere charitatem, sinè qua nihil homini mors proderat, etiam fortiter obita pro Christo. Sapricius contrà primùm inurbanus, qui ob rem leuem tam grauiter intimo amico succensuerit; deinde obstinatus, deinde impius, at semper superbus. Adiunge quòd res ad exemplum pertinebat, vt cuius palàm odium fuerat, huius palàm reconciliatio appareret. Post hæc* Nestor *cui secundum narrandi locum sors iniunxerat, Mihi verò, inquit, ad confirmandam de iniurijs condonandis, & facienda pace dictam sententiam non est opus abire longiùs per historias Vitasque Sanctorum; Patria mihi suppeditat huic rei aptissimum* Exemplum, *quod inter nouantiquos Annales relatum, mea breuiùs memorabit Historia De Vita, & rebus gestis illustrium Perusinorum.*

QVo tempore igitur, popularium factione profligata, Biordus Michelottus Augustam Perusiam longis infestam seditionibus, æquissimo pariter ac lenissimo imperio fouebat: duo gemini fratres, tam tempore nascendi, quàm voluntatibus & studijs coniuncti, rus colebant suburbanum à parētibus hæreditate relictum haud valdè spatiosum, sed pingue, frugiferum, amœnum extra portam Eburnam,

quæ in Meridiem ſpectat: nec aliud quicquam in Peruſino poſſidebant. puſillum agri auus maternus legauerat in Gortonenſi. hoc foris locabant, & certo poſt interuallo alteruter inuiſere, ac fructus exigere ſolebant. priori nomen Martio, alteri Proſpero erat. de familia mihi non conſtat. pater in membranis nunc Cinallus, nunc Cinellus, non nomine arbitror, ſed cognomine appellatur. certè nobiles ac generoſi fuere. vt incepta declarant. opibus non ita multùm valebant, pro fortuna & loco. itaque neuter vxorem ducebant, & ſi annum vigeſimum quintum exceſſerant, nec aliunde ſpes erat poſteritatis propagandæ. Vitam igitur ſatis magnificam & ſplendidam agitabant pro captu temporum illorum: & vterque manu ſtrenuus, conſilio bonus rem militarem nunc pedites, nunc equites colebant. Martius tamen feracioris animi erat, & minùs patiens iniuriarum. Longulè ab horum rure ſuburbano villam habebat vndequaque in longum porrectam, omni fructuum, ac frugum genere abundantem, haud quaquam tamen amœnitate comparandam cum ſuburbio fratrum Cinellorum, vir à Sabinis oriundus non ſolùm ex primaria nobilitate, verùm etiam dignitate, factione, opibus valdè conſpiciendus, & Biordo perfamiliaris. nomen Vguccio fuit: ſed ille proprio ſibi cognomento Tellas audiebat, quod ab Attila rege ductum aliqui

putabant

putabant, congrua moribus appellatione, vt mox patebit. Quia igitur Vguccio quoties ad ſuam villam itabat, commodùm oppido egreſſus, in conſpectu habebat topiaria, porticus, piſcinas, & omnem viriditatem, amœnitatéque Cinellorum; partim inuidia commotus, partim auiditate compulſus, nihil non tentandum ſibi eſſe decreuit, vt eam poſſeſſionem gemellis fratribus eriperet, ac ſuis prædijs infra iacentibus coniungeret; villam ſibi facilè confecturus qualem quantamque non eſſet cernere aliam toto agro Peruſino. Primùm igitur per communes & amicos, & vicinos ſollicitare Cinellos inſtituit, vt eam poſſeſſionem, aut ſibi venderent, aut ſecum permutarent; habere ſe in numerato pecunias: habere, ſi hoc mallent, in agro Aſiſinate prædium illo ſpatioſius & frúctuoſius, quod rependeret. Vtra ſecum ratione conuenirent ſe in magni beneficij loco æſtimaturum. Fratres perhumaniter reſponderũt eum ſibi locum vehementer eſſe accommodatum, & propter ædium capacitatem, & propter cæli ſalubritatem, & propter Vrbis propinquitatem. hæc ſe pluris æſtimare quàm prædij lectum ampliorem, & frugum copiam vberiorem. quare hanc paternam poſſeſſionem nullis condicionibus núnc quidem eſſe alienaturos. ſi quando accideret, vt haberent venalem, cum eo libentius, quàm cum quoquam alio contracturos. Exarſit ad

hoc responsum Vguccio præ iracundia, cuius erat impotentior natura, & minabundus, Faciam, inquit, vt qui hodie vendere nolunt, haud ita post cupiant donatam, & frustrà cupiant. Capit igitur consilium Martij per dolum obtruncandi, quòd hunc potissimùm credebat suæ obstare cupiditati: securior de Prospero, qui secum frequentiùs versabatur & erat animo leniore.

Habebat duos hic Vguccio nobiles sicarios, qui propter alia recens patrata homicidia, domo exules, in Florentino habitabant, eiusque non solùm auctoritate, sed etiam pecunia subleuati, commodè vitam agitabant, in omnem occasionem ad Vguccionis nutum intenti. Per hos iste Martium è medio tollere destinauit. Sed quia par sibi atque illis periculum impendebat, si quid forsitan de illorum ad Vrbem reditu, aut accessu resciretur, Biordo ciuitatem cum summa & iustitia, & prudentia gubernante: commodissimum fore visum est vt ad Vrbem repetendam, & ad cædem faciendam dies bacchanales expectarentur, in quibus sinè omni metu ac suspicione liceret vagari personatos. cetera nihil difficultatis, aut discriminis habitura esse videbantur. Quippe Martius quantò audacior, tantò incautior, nec ille oderat quemquam, nec se cuiquam odio esse credebat. itaque sæpiùs à suburbano in forum, à foro in suburbanũ commeabat

& solus.

& solus,& inermis. die igitur ad regressum in Vrbem constituto idibus Februarijs, & ad cædem faciendam proximè sequenti, res ex voto successura esse videbatur: cum ecce tibi propter inimicitias subitò coortas inter duos duarum familiarum maximè illustrium, & vtrinque complures trahentium; inter cetera remedia sapientissimus Biordus edicto cauit, nè quis Vrbem pererraret transuestitus, aut personatus: multam fore contumacibus, & contra eunttibus capitale supplicium. Ex quo incredibile memoratu est quantam animi ægritudinem Vguccio, quantam duo exules ceperint, & quàm hos pariter atque illum pœniteret, quòd non antea facinus occupassent, quàm ille oriretur tumultus, vnde per edictum impedita, vel saltem retardata cædes erat.

Super hæc dies noctesque cogitantibus, & varias animo rationes voluentibus, vna venit in mentem, non atrox tantùm, sed impia, & sacrilega. Quod, inquiunt, extremo Bacchanali factum non est, cum sub alieno habitu latendi venia est, id ad sacrosanctam Hebdomadam transferatur, cum pariter liceat specie pietatis ponere, sumere personas. Mos est Perusiæ sacris illis diebus, ad passionem Domini recolendam, induere saccos, eosque tum cucullatos, ad faciem abscondendam, tum fenestratos ad plagas nudis humeris infligendas. hæ propterea verberatorum vestes

dicuntur, tametsi eo præsertim tempore ab alijs etiam gestari solent non ad se flagellandos, sed ad stipem viritim colligendam, quæ pijs vsibus impenditur. Ab his exules muniti duo expectabant magna commoda. primùm ipsi securiùs latebant; deinde minore cum suo periculo facinus aggressuri videbantur, non præuisi, non formidati. Rebus ita compositis dum destinata occisioni dies expectatur, Vguccio moræ longioris impatiens, alia interim via Cinellos fratres adoriri constituit. subornat vicinos alterum & alterum, eisque seruos etiam attribuit suos, vt in fratrum villam de nocte impetum faciant, & nunc piscinis, nunc auiarijs, nunc ceteræ hortorum elegantiæ damnum inferant & cladem: sic nimirum opinatus, Cinellos desperatione adductos, ad eius soli venditionem, aut permutationem posse compelli. Curarunt seduló vicini, fratrum absentiam sagaciter captantes: donec ad extremum coortus ex insidijs Martius (aberat Prosperus, Cortonam profectus) cum altero & altero fidelissimis sodalibus, ingressos hortum populatores fortiter repulit, vtroque vicinorum grauiter sauciato. alter integrùm mensem decubuit satis cum periculo, nec dum planè conualuerat, cum nefarij latrones ad constitutam diem præsto fuerunt. Quibus saccum indutis; & iam accinctis ad facinus hoc tantummodó Petronius (id erat nomẽ ægrotanti)

tanti) meam, inquit, vicem vlciſciminor, ite felices.

Præterierant ſanctioris Hebdomadæ quattuor dies, in quibus exules perueſpere ſaccati, cucullo tecti ac ferro ſtipati occaſionem fruſtrà captauerunt innocenris viri adoriendi, & mactandi. Credo bonus Martij genius periculum arcebat: nec facinus permiſit antè feriam quintam, qui dies *IN cœna Domini* vocatur, cum mos eſt pleriſque Chriſtianorum expiata per humilem confeſſionem conſcientia, ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium obire. id quod Martius & quotannis facere conſueuerat, & illo anno fertur feciſſe accuratiùs, reuerentiùs. Ergo ſolemnibus eius diei cæremonijs peractis, tardiùs aliquantò, quàm in more habebat, ex templo Sodalium Seruitarum ad ſuos extra Vrbem penates feſtinabat: cum vix portam egreſſus, quæ nunc Eburna vocatur, hos obuiam habuit duos ſicarios, quaſi lupos in veſtibus ouium latentes. quorum dum alter gazophilacium prætendit ad ſtipem recipiendam, & vir pius repreſſo itinere pecuniam expedit., alter commodùm à tergo adortus pugione transfodit, & felici vulnere vinctam animam vnico ictu reſoluit. Martius nihil aliud aut molitus, aut locutus, quàm intento vultu ad Cælum, IESV præſto adſis mihi peccatori, procumbens extinguitur. Interfectores (vt tum mos erat) etiam ſpoliandi corporis

consilium ceperant : nam propterea solitudinem, & initia noctis delegerant sceleri. Sed pedum strepitu exaudito non procul inde commeantium, veriti militum lictorumque custodias matura fuga sibi consulere statuerunt. tantummodò ille, qui petierat stipem, fortè fortuna elapsam manibus morientis crumenam, non multo grauem argento, sed opere contextam elegantissimo rapuit, fugitque cum socio festinanter. Voluere illi quidem (sicut antea conuenerant) longiore tractu per aliud ostium in Vrbem reuerti, & illis confisi, quæ gestabant pia vestimenta per quædam sibi cognita viarum compendia referre se ad Vguccionem. Sed huic consilio duplex calaminas interuenit, quo minùs expediri, & ad effectum perduci potuerit. Primùm cæde nobilis viri statim diuulgata ianuæ Ciuitatis partim occlusæ, partim excubijs munitæ tenebantur: & dubitauere furiosi (quæ post cædem amentia est crudelium virorum) si vestibus religiosis vsqne adeò confidere debebant, vt nihil mali suspicantes, Vrbem per medias excubias ingredi auderent.

Id verò credebantur haud dubiè fuisse facturi, nisi secunda obuenisset calamitas. porrò cum ab ianua non longè abessent, visi sunt à tergo audire Prætoriam Cohortem illac properantem: nec illis erat dubium quin occisione perspecta occisores indagarent, arbitrati non procul inde

subductos

ſubductos latitare. itaque pedibus magis quàm nocti & vmbris confidentes, ad curſum expediti, quàm lõgiſſimè poſſunt, à ſuburbijs & via Regia declinant, ſeſeque ad ſuas in Florentino ſedes recipere contendunt; & fuit illis in ſcelere occultando, qualis fuerat in perpetrando felix fortuna. Proſperus Martij frater propero cognatorum accitu Cortona Peruſiam reuerſus, poſt exequias cum acerbiſſimo mœrore ac luctu celebratas, rogatur à Biordo num quas frater inimicitias & cum quibus exercuiſſet. Proſperus negare quicquam ea de re ſibi eſſe compertum: hoc tantùm audiſſe, cum antè menſem Cortonæ ageret, quin etiam ipſum ſibi poſtea Martium ſcripſiſſe, Petronium Ser Baldi filium nocte quadam ab eo fuſtibus malè acceptum: Quia, inquit, hortos noſtros ſuis propinquos vaſtantem ac populantem non ſemel offendiſſet, fruſtra monitum, fruſtra rogatum. ego tamen ſubiungebat, haud poſſum mihi perſuadere, hoc tantum facinus feciſſe Petronium. primò inter nos Chriſtiano more pax interceſſit, quam Martius ſuppliciter petitam, facilè impetrauit. Deinde languet adhuc, & lectulo decumbit (quantùm audio) Petronius non ſolùm ad arma tractanda, cædemque faciendam, ſed nè ad ſtandum quidem ſatis valens. Adiungo, quamquam vires illi ſuppeterent, nec obſtaret religio, mihi tamen haud probabile

videri hoc fuiſſe auſum aduerſus nos tenuis hominem fortunæ, filium Ser-Baldi. alium ego huius facinoris paulò magis robuſtum, & magis potentem ſuſpicor fuiſſe vel auctorem, vel impulſorem. nec is tamen aut quis fuerit, aut cur fecerit poſſum diuinare. Tu optimè, quid ſit nobis faciendum, & qua via crimen indagandum, pro tua ſapientia iudicabis.

Cùm his dictis humaniter dimiſſus à Biordo Proſperus, omni ſtudio atque ſolertia de fratris interfectoribus quæritabat. Petronius decumbens examinatur, & nihil quicquam fatenti excubię domi à Magiſtratibus attributæ; quoad per valetudinem ſecreta carcerum poſſe perpeti videretur. Anteà commodùm Martio interempto apud Petronium nocte inter Vguccionem, aliosque facinoris conſcios poſt longam deliberationem, res demùm ita conuenerat, vt infra exponam. Vocant ad ſe illum alterũ Martiani ruris vicinum, nomine Lucangelum (is quoque à Martio, ſed non tam acriter fuerat pulſatus) eique partim rationibus, partim muneribus & promiſſis perſuadent, vt ſe Martianæ cædis reum faciat, & ſponte abeat in exilium, commodè victurus in agro Politiano cum duobus exulibus, Vguccione ſumptum affatim præbente. Volo, inquit Vguccio, nobis credas Lucangele. non vnus aut alter menſis præterierit, cum ego per clariſſimum Biordum mihi (vt ſcitis)

valdè

valdè familiarem tibi à Proſpero pacem impetrabo. noui hominis æquè generoſum, ac forte ingenium. excuſabit in parte iuſtam vltionem tuam, nec tecum vllo pacto videri volet ſimultatem aut inimicitias exercere. Poſſum ego præterea longè multùm auctoritate, gratia, opibus, clientelis. meam plerique omnes amicitiam ambiunt, & odium iramque formidant meam. Tuæ interim familiolæ, quacumque re opus fuerit, benignè à nobis proſpicietur. Faxo in ſumma bimeſtre ſpatium longè fructuoſiùs extra patriam tibi decurrere otianti, quàm integer annus tibi cucurriſſet inter quotidianos labores in merciaria taberna. hoc enim opificij Lucangelus factitabat. Quid multis opus eſt? multo argento, & maiore ſpe onuſtus Lucangelus, prius quàm in ius vocaretur (nam ſe omnino vocatum iri putabat: & erat cauſa) id ſua ſponte crimen profeſſus, cuius ille nè conſcius quidem fuerat, voluntarium ſibi exilium delegit, & cum exulibus vacuo multùm & ſoluto animo viuebat, homo inſolens colluſionum ac turpitudinum otioſarum.

Iam Petronius conualuerat, & carceris patiens erat. ſed languoris ſimulatione rem trahebat in longum. nec admodum inſtare Magiſtratus, interfectore publicato. Proſperus obſtupeſcere, tantum facinus tantulum hominem eſſe conatum: nec interim minui, potiùs augeri ſuſpicio

poten-

potentioris inimici. quem tamen non diuinabat, ignarus omnium, quæ ipso absente, inter Vguccionem & Martium acta fuerant. Aliquando in mentem illi veniebat, potuisse accidere, vt opifex ignobilis, pollens viribus, ætate feruenti, iusto dolore suscitatus, ad spem vindictæ erexcrit animos, & quod facinus ira suadebat, desperatio susceperit, fortuna confecerit. Itaque iam iterùm iterumque pacem imploranti Lucangelo concedendam esse decreuit. Contrà niti & obstare cognati, propinqui, amici omnes: vulgò illum nobilitas timiditatis & ignauiæ accusare. Quod est magis mirandum, Abbas notæ religionis eximięque sapientiæ Prosperum à pace facienda magnoperè dehortabatur, hoc nimirum prætendens, vt impius homicida, qui per dies sacrosanctos cum Rex pacis occideret, & gladium stringi vetaret, ab humana cæde non temperauit, longiorem exilij pœnam subiret; nec tam facilè in patriam ad suos penates rediret, quasi leue peccatum admisisset per imprudentiam, aut lasciuiam Lupercalem. Sed Prosperus propositi sui tenax ad diuersa hominum genera diuersè respondens, ita suam causam tuebatur. Vos, inquit, nobiles propinqui & amici parùm honorificè mihi suadetis, cum me vultis aut sæuire in pauperem tabernarium, aut cū eodem gerere ignobiles inimicitias. Vos autem homines religiosi adhuc nocentiùs, certè
turpiùs

turpiùs consulere videmini iubentes obliuiſci pręceptum Domini de condonandis iniurijs, & de diligendo inimico. Nam quod ſubiungitis æquum eſſe, vt ſceleſti ſupplicia luant, nec tam facilè veniam impetrent: hoc magiſtratibus ac iudicibus dicere oportet, quos ille ſummus Imperator ſceleribus vindicandis, & iuſtitiæ adminiſtrandæ voluit eſſe præpoſitos. me, opinor, grauiùs offenſum, & peculiari affectum iniuria non iſthæc veſtra, ſed alia quædam oratio & perſuaſio decet, quam ſic idem tonat Imperator, *SOL non occidat ſuper iracundiam veſtram. Mihi vindictam, & ego retribuam*. Ad hæc, Non videbor, inquit, Doctores velle docere, ſi quædam adiecero nobis etiam intellecta rudioribus, imò repetam non immemor diſcipulus, quæ didici, & diſco à vobis. Inſtat ſolemnitas ſacroſancta, cum ille à Cælo ſuper Apoſtolos pluit igneus imber Spiritus ſanctus. vocabitis me cum ceteris ad purgationem intimæ cõſcientiæ per Confeſſionem: deinde ad conuiuium animæ Chriſtus admittet, quod nobis parauit apud ſe, imò etiam de ſe. quid obſecro idem præcipit accedere cupientibus, imò iam ingreſſis triclinium, & diſcumbere parantibus? Vos mihi ſuggerite, qui hæc frequenter cantatis, niſi admodum meminero ſingula. *SI OFFERS*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque*

ibi

ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Hæc Prosperus, valdè contra consuetudinem illius temporis nobilium militum offensorum. sed erat natura placabilior, & se ad expiationem animæ comparabat, instante (vt supra diximus) Pentecoste. Itaque sacerdotibus & senioribus non nihil erubescentibus hæc insuper adiecit iunior de seculo. Memini, inquit, egregium & valdè pium concionatorem super illis Euangelij verbis multa differere circa festinationem pacificandi cum inimico, quibus vestra vel dissuasio, vel cunctatio funditùs tollitur. *Relinque ibi munus tuum ante altare*, inquit Dominus: hoc est vel imperfectum relinque sacrificium, quod alioqui piaculum erat, vt cum fratre in gratiam redeas. Aut igitur me sinite cum inimico, & eo quidem nunc supplice gratiam reconciliare, aut hoc etiam vetate, nè ad sacras epulas accedam, idest nè redeam ipse cum Domino in gratiam. Quid hic multis moramur? longa fuit, & acriùs agitata contentio, quæ nunc etiam gliscit inter doctos, Vtrum iubeamur Christiani palàm facere pacem cum inimico, id est scripto etiam ac testibus firmare: an satis sit ex animo ignoscere, ac verbis dumtaxat condonare iniuriam. Illud in commune pijs hominibus, imò (quantum ego perspexi) doctioribus quoque magis probatur;

probatur: hoc aliqui nostratium nimis subtiliter nè dicam inutiliter, conuincere student. Prospero placuit, quod etiam nobis placet, viam sequi tutiorem & magis expeditam. Pace igitur ritè celebrata, scelestis interfectoribus, & coadiutoribus res omnis videbatur fore in tranquillo. Lucangelus confessione sua ceteros tuebatur, & ille properum in patriam reditum sperabat, Vguccione adnitēte, nullis contra obstantibus inimicis. Lætabatur ergo id sibi accidere videri, quod Vguccio spoponderat, vt questuosius per id temporis fuerit exilium, quàm domi fuisset opificium. monere interim, ac rogare Vguccionem per litteras, per amicos, per internuncios, vt negotium maturaret, sibique optatum reditum conficeret antè propinquas nundinas, quæ tunc Perusiæ celebrari solebant inito mense Augusto, & erant ad suas merculas in primis opportunæ.

Non destitit Vguccio rem curare omni studio ac diligentia. Sed (quod in rebus huiusmodi frequenter accidit) multa nec-opinata occurrentia spem valdè in longum trahebant, & effectum rei per varias causas interrumpebant. Vguccione sic instante, sic interdum exardescente, ac tantùm non minante, vt Biordo illa tanta contentio cœperit esse suspecta. itaque data opera causas interponere, ac producere negotium in longius: interea subodorari, & indagare sagaciter, quid ea

res

res tantopere ad Vguccionem : & veniebat aliquid in mentem, quod Prætori & Iudici non censebat esse negligendum. Etiam cum Prospero egit rogans, ecquid vnquam Vguccioni cum Martio fuisset. hinc cognouit de suburbano, quod hic pretio captabat, ille abnuerat vendere. secuta propè continenter villæ populatio, raptorum supplicia, Martij cædes. vero simile videri, conscium huius fuisse Vguccionem: nisi etiam impulsor atque auctor fuit. Ad hasce coniecturas pauculis diebus res accessit, quæ mirificè auxit suspicionem, & videbatur latens flagitium posse aperire. Ludebant ad fallendum, seu mulcendum diei æstum tesseris & fritillis apud Prætorem Vguccio, Prosperus, alij nobiles. Fortè victus Vguccio quattuor nummos aureos crumena eductos in medium reponit, crumenam ipsam super abacum occlusam manu sinistra leuiter premens. Adiecit crumenæ oculum Prosperus, & quò meliùs intuetur, hoc magis suspicatur, esse Martij sui crumenam, auro intertextam, & lapillis ornatam: quæ cum mortuo reperta non fuerat, rapta forsitan ab interfectore; tamen non est ausus manu contrectare, vel dispicere subtiliter: multò minùs rogare collusorem vnde habuisset, quanti emisset. tantùm postea retulit Biordo suspicionem suam. qui haud ita post de-industria prouocato ad lusum Vguccione visam fortè crumenā laudauit, contre-

contrectauit, & muneri oblatam muneri accepit cum multo gratiarum honore. Prosperus inspectam diligentiùs, sine omni dubitatione affirmabat, se certissimis indicijs agnoscere Martij crumenam. Visa igitur hæc quoque percommodam præbere facultatem de facto quærendi, atque ad ipsum sceleris caput perueniendi.

Dum ista lentiùs, hoc est maturiùs deliberantur, haud scierim vnde suboluit Vguccioni à nonnullis imputari sibi Martianam cædem. Itaque pro Lucangelo in patriam reducēdo, cogitare cœpit quemadmodum illum per insidias è medio tolleret, fortunæ agens gratias, quòd suæ pro illo preces, suaque studia nihil hactenus valuissent. fore sibi faciliùs per eosdem sicarios hunc extra Vrbem opprimere incautum ac nihil metuentem. Antea tamen quàm facinus confici posset, Lucangelo iterùm iterumque supplicanti (sic arbitror Diuina prouidentia disponente) Biordus exilium remittit, & redeundi copiam facit. Reuersum Biordus secretò abducit, & super homicidio, quod patrauerat multa requirit causam, locum, tempus, conscios, socios, impulsores. Ad quæ singula quamquam antea fuerat instructus, tamen frigidè, perplexè, dubitanter, atque inconstanter respondens; ad extremum Biordo humaniter blādienti, atque impunitatem pollicenti, rem omnem confessus est: plura etiam quam rogabatur.

Dixit.

Dixit inter cetera se cum illis duobus Vguccionis clientibus, qui Martium interfecerant, & vnà exulabant in agro Politiano; solitum ludere pila, tessera, folijs chartarum: quanquam ipse antea ne nosset quidé figuras illas notasque foliorum, illi scilicet insidiatores docuerunt: sed suo periculo: Lucangelus vtrûque postquam doctus est ludum, pecunia spoliauit. Hoc vulgò aiunt accidere consuesse, vt collusores tyrones sub initia discendi fortunam maximè propitiam sortiantur, cacodæmone adspirante, vt sic eos alliciat ad ludum frequentandum, perque hanc occasionem illos doceat non solùm frustra conterere tempus, sed etiam fallere, iurare, peierare in Sanctos viros in Deum ipsum, eiusque Matrem Virginem conuicia iactare. Sub hæc; Nostin' Lucangele tu, inquit Biordus, hanc crumenam? Quid ni nouerim, inquit Lucangelus, cum ego istam ludendo fuerim lucratus ab altero eorum, quos nunc dixi, sicariorum? perdidi autem non multò post pariter ludens cum Lincastro Vguccionis seruo primario, qui frequenter ad nos ventitabat mandata, litteras, pecuniam afferens. Vndè illam sicarius habuerit, vel cui postea dederit Lincaster, æque nescio, vt ad te peruenire potuerit non ludentem.

Per hunc adeò simplicem, liberumque sermonem homo sagacissimus Biordus omnia Vguccionis facta, dicta, consilia

ſcrutatus inueſtigauit. vnum maximè ad rem faciens, quod Lincaſter propediem eſſet profecturus ad pecuniam exulibus portandam. Igitur Lucangelo in admodùm liberali cuſtodia retento, collocatiſque in inſidijs prope Vrbem lictoribus, quà erat Lincaſter tranſiturus, nullo negotio exceptum, & ad ſe adductum, pecunia litteriſque prius extortis, interiori carcere occludendum curauit. litteræ reſignatæ tam epigrapha, quàm hypographa mentitis hoc continebant, vt ſicarij ſtata nocte ad ſolennem locum præſto eſſent, vndè mox veſtibus, atque oris habitu commutato, Lucangelum domi, ſi aliter fieri non poſſet, interficerent. Nihil interim ſcire de Lincaſtro, & litteris interceptis. credere fidum ſibi famulum rectè iter feciſſe, poſt triduum (ita conuenerat cum exulibus) præſto futurum, nec de Lucangelo erat compertum, quòd eum Dominus cuſtodiri mandaſſet. Quare cum omnia ſibi proſpera & felicia promitteret: ecce internuncio primùm, deinde fama cognoſcit, ſuos ſicarios, ſuum famulum: & præter hos Lucangelum quoque in carcerem fuiſſe coniectos. Dubitantem quid ageret, & quid conſilij caperet vtrum ſuis fidens opibus maneret, an continuo Florentiam arriperet fugam, Biordus per hominem nobilem arceſſit, ædes illi honeſtas in Prætorio attribuit, & cum cura cuſtodiri mandauit: ceterùm ad ſe

accedere volentem, & omni ambitu rogantem, haud vnquàm permisit. Causa maturè disceptata, sontibus crimen confessis, & condemnatis alij alio supplicij genere mactantur. Sicarios capite pulsato, securibus in membra discerpunt semiuiuos, adhuc spirantes. Lincastro laqueus inijcitur. De Petronio alterum triduum extracta res est. demum vbi constitit ex ipsius confessione quid olim dixerit, & fuerit hortatus sicarios ad cędem festinantes; capite damnatus occubuit. Lucangelo venia fuit, & remissi exilij gratia confirmata. Vguccio variat fama quo mortis ac supplicij genere interierit. Crispoltus de Crispoltis compertum sibi esse affirmat, quemdam Vguccionem multa facinora confessum, & ritè condemnatum propter viri magnam potentiam, haud palam in foro, sed in carcere necatum: postea exhibitum populo spectandum cadauer, collo eliso in capite truncato. De confessione ante mortem obeunda piè admonitus, & instanter rogatus, diu recusauit pertinaciter. ad extremum victus (vt credere par est) imagine mortis appropinquantis, ipse sua sponte Confessarium poposcit Fratrem Albertum Dominicanum. habere se, quod etiam extra confessionem cum illo ageret, negotium ingens, non differendum. Ergo statim Frater euocatur, sedet ante Altare, genuflexũ auscultat pœnitentem. O mortalibus imperscrutabile Dei iudicium! vix paucula

paucula verba protulerat, cum intercluso spiritu, exitus voci negatur, nec vnum postea verbum exprimere potuit. Visum est alterum & alterum diem differre supplicium. sed cum ille non solùm penitus elinguis, verùm etiam extra se positus videretur, à duobus hinc inde fortibus barbaris strangulatur. Nescio in qua gratia transierit ad plures: certè apud nos in summa infamia remansit, cælestis vindictæ grande documentum.

DECADIS PRIMÆ

Exemplum Tertium

Argumentum.

Insigne facinus Isottæ Principis Hispanæ super iniurijs inimico condonandis.

Generosum Prosperi animum in ignoscendo propter Deum, non modò ingens gloria secuta est, verùm etiam ingens vindicta de inimicis. Qui si proprijs opibus fraternam cædem vlcisci maluisset, multa poterant occurrere quamobrem huiusmodi conatus impediretur: & ille forsitan (quod non rarò accidere videmus) pro altero vindicando, semet in capitis certum discrimen adduxisset. Rectè igitur & sapienter suam causam Domino commisit, à quo sine sua culpa talem tantamque

suorum

ſuorum inimicorum ſtragem fieri animaduertit, vt ipſemet vicem illorum doleret, miſeratione commotus. Non eſt itaque tam difficile, neque tam arduum, quàm vulgò homines opinantur, ferientem non referire: vel eſt quidem, atque olim fuit, ſed Paganis, & Deum non agnoſcentibus, non colentibus. certè nobis facillimum eſſe oportet, qui quidem ſiue hoſti donamus iniuriam, habemus remuneratorem. ſiue vlciſci malumus, habemus vltorem. Hæc conuiuij Rex Fortebracchius *differebat, cum* Fernandus, *cui tertius narrandi locus obuenerat, ita exorſus eſt. Magna Heroum duorum (ſic mihi libet appellare, qui obliuiſci, quàm vlciſci malunt iniurias) at paulò maior Iſotta generoſitas fuit, de qua nunc dicere ingredior. Primùm hæc femina eſt: deinde non fratrem, non amicum amiſerat, ſed filium. poſtremò ſeruauit inimicum, quod Nicephorus non potuit, Cinellus non curauit.*

REfert Concionator Ieſuita, Vir non ſolùm eruditione animique candore, verùm etiam integritate atque auctoritate ſpectabilis, memoria ſua fuiſſe in Hiſpania (Gentem ille non nominat: Ciuitatem Hiſpalim vocant, Siuiliam vulgò) feminam longè primariam, non modò ſplendidis ortam natalibus, verùm etiam Pagis Caſtelliſque locupletem, & his latè imperitantem cum ſumma populi voluntate. Iſottam licet appellemus, & ſi proprium huius nomen Auctor non tradit. Hæc valdè adhuc adoleſcens coniugem amiſerat

amiſerat Virum longè fortiſſimum, triennio poſtquàm cum eo fuerat nupta. Sed enim tanta inter eos, & tam mutua charitas fuit, vt illam Vir decedens omnium Dominam teſtamento reliquerit, ſeu viueret, ſeu non viueret infantulus, quem ex ea vnicum ſuſceperat. illa quoque tametſi à parentibus, atque cognatis ad nouas nuptias ſollicitabatur; & opes, ætas, modeſtia, pulchritudo longè principem ſpondebant maritum: tamen vidua eſſe cum inſigni honeſtate atque conſtantia perſeuerauit, & Didacum filium Patris nomen, Patris animos gerentem omnibus artibus erudiendum curauit, quibus ætas puerilis impertiri debet. Super cetera ſtuduit, quantum humano conſilio effici poterat, vt cum ingenuis, & claro Equite dignis diſciplinis vnà imbiberet Numinis metum, & Chriſtianam pietatem. Res admodùm feliciter & ex voto ſucceſſerunt ad annum iuuenis vndeuigeſimum in quem velut cumulum miſeriarum ex longa ſecuritate collectum fortuna reſeruarat. Die quodam ecce ad Iſottam, nihil huiuſmodi metuentem, ac nè ſuſpicantem quidem triſtiſſimus nuncius, Didacum filium à Pyrrho de Alſueda, qui cum pridie grauiter excanduerat, dolo aggreſſum, armis confoſſum, & interemptum. Ad quod extremum verbum mulier, animo conſternata ſe miſerrimam, ſe infeliciſſimam omnium clamitans, impetu rapta prorũpit

in viam. & (o spectaculum) pij clientes humo sublatum, & lectulo impositum Matri offerunt adhuc sanguine fœdum, & puluere sordidum Adolescentis cadauer. Vos dicite Seniores, quibus experimento cognita est charitas liberorum, qualem quantumque sensum doloris primùm ille nuncius, deinde illa facies excitare debuerit in Parente, præsertim vidua, solitaria, locuplete. Mihi ad referendum longè minùs est facultatis, quàm scio esse cuique nostrum ad cogitandum. Cetera igitur silentio præteriens, quæ vnusquisque sibi subijci.t velim; hoc tantummodo dicam, ex ipso domus vestibulo, vbi more gentis cadauer curatum, & feretro impositum vespillones, aliamque mortualem turbam expectabat, planctum huiusmodi fuisse in viam exauditum, & ab arbitris collectum, qualis Matrem decebat indulgentem, bis viduam, omni spe destitutam super filio adulto, in quem omnia corporis & animi ornamenta certatim natura & fortuna congesserant. adiunge, quod querelarum ampliorem materiam suppeditabat, nuptijs destinato, quales Mater optauerat illustres, opulentas, propinquas. Vt quemadmodum ad iacturam, sic ad iacturæ querelam mihi propemodum nihil accedere posse videretur.

Iam ad extremum gliscente furore, non pectori tundendo, non crinibus conscindendis, non ori laniando, non denique

iaciendis

iaciendis imprecationibus temperatum est. Pyrrhum inclementem, Pyrrhum inhumanum, illo etiam Neoptolemo sæuiorem: siquidem ille non sustinuit diu viuere superstitem filio Parentem, obtulitque miserrimo seni speratam mortem, solatium orbitatis. Tu filium interimis, & Matri remittis cadauer, heù me miseram qualibus & quàm multis confossum vulneribus! ab humero in pectus, à tergo in aluum, auersa omnia. Tu vero ignauissime si coram aperto marte pugnares, nec ex insidijs adorirere; non nunc incederes victoria superbus. te facile strauisset fortior te, bellicosior te. At tu fraude circumuentum opprimere maluisti, vt semel illum necares præsentem, & me millies absentem trucidares lethaliter victuram. Et possum misera non persequi: possum & ignoscere, si per pectus adacto mucrone iter animæ patefacias erumpere conanti, & filium consequi præeuntem.

Quæ aliaque dum conqueritur miserabiliter, nullius adhuc patiens consolationis aut alleuationis afflictissima mater, ecce à foro vir primarius de numero amicorum, qui marito illius erant vsi familiariter, hic vero Didacum iuniorem præcipua charitate fuerat complexus, & viduam in sororis loco habens, ipsorum grauia negotia curabat. Ergo ad Isottam remotis omnibus arbitris, Affero, inquit, consolationem quantam maximam ingens dolor

capere poteſt. Meus vero, inquit mulier, nullam capit, cuius cum vnico filio ſpes opeſque omnes occiſæ ſunt. Ille rurſus: Præter vitam filij, quam ſolus reddere poteſt Deus, & hoc ſeculo non ſolet; mea eſt omnium optima & efficaciſſima conſolatio, cui capiunde nunquam non vacat offenſus. Interfectorem ſcias eſſe in noſtra poteſtate, ſi velimus. Commodum namque facinore perpetrato, cum ſe per portam Vrbis propinquiorem eijcere non auderet, multis arbitrantibus; retrò pedem tulit, & per ſemitam minùs frequentem in viciniam noſtræ proximam euaſit, ſeſeque in ſtabulum Boelmontis fortè apertum, & vacuum coniecit. Ibi non eſt dubium quin ad veſperam vſque manſurus ſit, nocte inita profecturus aliquò exulatum, niſi nos antea vel per lictores capiundum trudendumque in carcerem, vel per ſeruos atque clientes noſtros trucidādum curemus Horum tu prudentiſſima Domina, vtrum magis expediat conſule, delibera, impera. Nos illicò effectum dabimus. Ad hæc verba non nihil remittere viſus mulieris dolor, ad eam horam ſemper intentior, tenaciorque. Mox ad hominem conuerſa, Gratiam habeo, inquit, beneuolentiæ, atque ſollicitudini erga nos tuæ. Rem mecum tacita conſtituam: deinde ſubitò aliquem ad te. Digreſſo amico recordata eſt pia femina conſuetudinem ſuam, cuius memoriam dolor continuatus

ademerat, denique interpellatus restituit. Ergo antè imaginem Christi Saluatoris in genua procumbens, quasi cum Domino rem communicaret, eiusque consilium supplex imploraret, aliquamdiu nunc tacens, nunc submurmurans orauit. Dein famulo euocato, cui plurimùm confidebat; Cape, inquit, ex isto sacculo scutatos quinqnaginta,& statim defer ad Pyrrhum de Alsueda in stabulo Boelmontis latentem. Præterea meis verbis hortare,ac roga, vt pace Numinum implorata furtim ex Vrbe discedens conferat se ad meam Villam duobus hinc passuum millibus distantem, antea illi benè notam. Venit eò sæpe cum Didaco meo venatum, rusticatum. Ibi colonum meo nomine poscat iumentum, quod volet ex tribus. Eo se celeriter in tutum recipere studeat. Hunc insuper anulum da, pignus fidei colono futurum. Cum his dictis famulus dimittitur: Mulier ad preces reuertit.

Negotium quàm piè incœptum, tam strenuè confectum successit ex voto. Pyrrhus facti pœnitens, veniam poscens, gratias agẽs Viduæ beneficio vitauit infortunium, vltrà patrios fines incolumis egressus. Mulier verò per cognatos, per clientes, per famulos suos, dispositis & expeditis quæcumque ad funus obeundum, & ad filium Christiano more condendum pertinebant: institit à Deo petere per Beatam Virginem, per Angelum Custodem,

 aliosque

aliosque Cælites patronos, vt vindictam suo Numini remissam, & suæ legi, suisque verbis condonatam non grauaretur cordi habere, ac respicere filium suum, si forte Purgatorio igne torqueretur. O memorem promissi diuinam beneficentiam! ò semper promptum cæleste patrocinium! In illa ipsa nocte, quæ mortualem secuta est diem, apparuit Matri sub Auroram Didacus filius, inter duos Angelos medius, ore supra humanum morem splendente, ac radios vibrante. Qui statim prior ad Matrem, Tua, inquit, Christiana generositas me alioqui longè diutiùs, & longè asperiùs cruciādum, in hoc temporis puncto liberum dimittit, fruendæ beatitudini destinatum. Qua quidem mulier visione recreata, nec vnquam post illum diem conquesta est orbitatem suam, & rebus omnibus ex voto succedentibus, annua vectigalia in pias eleemosynas, piaque opera conuertens, censum autem inter propinquos diuidundum relinquens, sancta vixit, sancta decessit.

DECADIS PRIMÆ

Exemplum Quartum

Argumentum.

Pannonius auri cupiens Hermotimum infantem à prædonibus emptum emaſculat, & Xerſi Perſarum Regi multis vendit talentis. Hermotimus in intimam Regis familiaritatem perductus, caſtratori ſuo lepidam gratiam refert.

Ingentem commiſerationem pari admiratione coniunctam in omnium animis excitauit calamitas, fortitudo, merces Iſotta. Vt Pamphilus ***exclamauerit***, ECCE mulierem fortem, quantò rariorem inuentu, tantò magis & admirandam, & prædicandam. ***Mox*** Rege ***innuente***, Fernandus ***hunc in modum diſſerere cœpit. Egregia de condonandis iniurijs*** Exempla ***memorata ſunt. Mihi vnum referre in animo eſt de non condonatis, imò atrociter vindicatis. Quod tametſi ſequendum atque imitandum non videtur; erit tamen auditu iucundum, nec minùs fructuoſum in auaritiæ deteſtationem.***

REfert Herodotus in Vrania ***Exemplum*** inſigne, nobile, ſingulare. quod

tametsi paulò aliter à recentioribus postea Historicis renarratum est; in re tamen euentuque omnes consentiunt. Quo tempore Xerses Persarum Rex opulentissimus lōgè latèque in Asia dominabatur, & cum Græcis nulla dum aut simultas, aut offensio grauior intercedebat: erat in Chio insula mercator inclytus (Pannionium Herodotus, alij Peonium, alij Pannonium vocant) qui cum pueros nobiles à prædonibus antecaptos auro redimeret, & in Persidem cum magno fœnore asportandos, ac diuendendos curaret: fortè illi oblatus est inter ceteros puer ingenuus Pasidensis, cui Hermotimo nomen fuit, tam egregia indole, tam venusta & decora facie, vt non habendum in turba quasi capite censum, aut gregarium sibi putauerit: sed mancipium nobile & quæstuosum ad Regem ipsum deducere cogitaret. primùm igitur tenellum puerum homo sanguinis & lucri cupidus, sine vlla miseratione castrauit; deinde Xersi per ministros ipsos regios mercandum obtulit mercede tanta, quantam & ipsius auiditas, & regalis infantis habitus non reclamabat. qui quidem iam adulta ætate propter modestiā solertiamque minimè iuuenilem, ad tantam euectus est dignitatem atque amplitudinem, tantasque opes & clientelas sibi parauit, vt secundus à Rege numeraretur & haberetur. id adeò, vt omittam cetera insigniora, etiam ex eo licet colligere, quod Rex missurus

missurus in Græciam Legatos de rebus omnium grauissimis, & ad summam regni spectantibus, principem eius Legationis nominauit Hermotimum, qui cum negotiator atque interpres regius per causam Legationis mensem integrum eoque amplius in Græcia versaretur, & multus Lacedemone, multus Athenis foret: quodam die per forum vadens cum magna, vt solebat comitum turba, inter ceteros se aspectantes, & venerantes vidit agnouitque Pannonium: & vltrò arcessitum blandè appellat, manu prendit, ad cenam ducit. Multa ibi de fortunæ varietate, de Persarum imperio recens aucto, de defectione adiacentium ciuitatum, de Græcia libertate nunquam secura, semper infesta inter conuiuas iactata sunt: nec sanè verecundatus est Hermotimus, quò maiorem suo Regi benignitatis & clementiæ famam compararet, de sua humilitate & ignominia confiteri; præsentis autem fortunæ prosperum insperatumque euentum se vni Pannonio, à quo in aulam bono fato trāsductus fuerat, acceptum referre; neque quicquam ardentiùs precatum esse à Dijs immortalibus, quàm vt eam sibi aliquando facultatem darent, quam nunc dedissent, gratiæ referendæ. Qua tanta facilitate atque humanitate inductus atque impulsus Pannonius, paulò post roganti Hermotimo, vt secum in Persidem traijceret, victurus lautiùs & copiosiùs, quàm

in patria; dicto audiens fuit, & prædijs ædibusque diuenditis, coacta ingenti pecunia, cum quattuor filijs eximiæ spei pueris solum vertit & Persepolim commigrauit. Ibi Hermotimus amplissimam illi domum instruendam atque ornandam curauerat, fun tum præterea quæstuosissimum & suburbanum bellissimè ædificatum, & annua vectigalia de pinguissimis & honestissimis attribueret. Quamobrem exultare gaudio Pannonius & fortunæ suæ gratulari, quòd tam felicem, tam lætum, tam optabilem exitum nacta esset improbitas; deos sibi propitios affuisse, cum emeret puerum, & virilia eximeret nondum viro. Interiecto haud longo spatio cum prioris iniuriæ non suspicio solùm, sed etiam memoria videretur extincta: Hermotimus Pannonium eiusque totam familiam euocauit ad splendidum lautumque conuiuium. Aderant vnà ex Persica nobilitate insignes viri, quos Hermotimus ad iucundas epulas, & iucundius epulis spectaculum inuitauerat. Ergo remotis mensis, Adeste, inquit Hermotimus, & quam paro lepidam fabulam lætis animis atque intentis oculis circumspectate. Mouit hoc dictũ expectationem omnium, quid innueret, quid ageret, quid moliretur, nescientium; cum ille ad Pannonium conuersus, Tanta est, inquit, tui erga me beneficij magnitudo Pannoni; vt quamquam te cum liberis ab ignobili patria,

& plus

& plùs quàm modicis facultatibus ad hãc vitæ amplitudinem, & has prope regales gazas euexi; tamen vix partem minimam humanitatis & beneficentiæ tuæ videar assecutus. Nam quid me, obsecro, futurum fuit, quem de sinu parentum ad fœdissimam seruitutem immanes barbari abducebant, nisi benigno meo fato in te protinus incidissent, & me tuis non solùm nummis, sed etiam precibus cõdonassent? At tu emptum pecunia tua mancipium cum aut curandis equis, aut triremibus impellendis, aut denique operi rustico faciundo destinare posses; non sustinuisti eam vel generi meo, vel genio tuo ignominiæ notam inurere, & me in Regiam totius orbis clarissimam & potentissimam adsciscendum curasti, nec ignobilem, nec indecorum Regi futurum, apud quem cum prudenter coniecisses me longè maximo in honore ac pretio fore propter indolem efflorescentem, si priùs essem emasculatus, tradito scilicet Regum more, qui maiorem huic generi sinè testibus, quàm alij cum testibus fidem habent; ipse me tuis manibus quàm amanter, tam diligenter execuisti: amputasti videlicet ea virilia, quæ me virum esse prohibuissent; & eam indidisti sterilitatem, quæ omni fœcunditate esset futura felicior. Nam quod mihi quispiam obijcere posset hoc abs te non eo consilio esse factum, vt fortunam iuuares meam, sed vt arcã impleres tuam:

videbas enim obstare cupiditati tuæ libidinem meam; pueros minoris vænire integros, quàm dimidios; mancipium eo carius futurum, quò minùs haberet hominis. hoc me quidem nihil mouet: quippe qui longè aliam, longèque diuersam scio esse naturam hominum & Deorum: scrutari quo quis animo fecerit, nostrum non est: tenebræ sunt in animo nimis altæ, nimis profundæ: introspicere humanus oculus tam non potest, quàm non deberet, etiam si posset: hoc vnius priuilegium est Dei, cuius per omnia vadentem aciem, & penitissimos quosque lustrantem angulos frustra fugit nostra mortalitas: omnia illi perspicua, plana, peruia; nihil abstrusum aut tectum satis. Iam quæ non solùm iniquitas, sed etiam planè dementia est, ad animum velle respicere, quem videre non potes; beneficium ipsum, quod vides, & manu tangis, & præsens frueris non æstimare? Ego verò & semper æstimaui, à quo die potens animi ac iudicij sui; & quamdiu sana mihi mens fuerit, æstimare, ornare, prædicare non desinam. imò verò, quod liberalis & grati animi est, beneficium maiore, quàm est datum, mensura remetiar; & agros fertiles imitabor, qui semper plus reddunt, quàm acceperunt. Agè ergo quoniam vna castratio tantam mihi fortunam peperit, quattuor à me accipe castrationes, quater tantum eoque amplius dignitatis & opulentiæ parituras.

Tui

Tui ſunt liberi, quorum felicitati Pater inuides nimium diu: quos ego darem libenter execandos, niſi te ſcirem ipſum in tua diſciplina peritiorem, cautiorem, feliciorem, quàm noſtrates Chirurgos fore; neque hanc mallem Parenti liberos, quàm extrario gratiam debere.

Hic ego alijs, qui filiorum charitatem experti ſunt cogitandum relinquo quid tum animi eſſet miſerrimo Patri, quem volentem, nolentem ad atrox facinus in ſuos edendum liberos iam non hortatio mollior, ſed minax, & ſuperba vox impellebat; miſerum ſi tantummodo ſuorum vulnera cogeretur aſpicere; nunc eo miſeriorem, quòd faciebat ipſe dolorē ſuum, & miniſter erat crudelitatis, qui eſſe debuit vltionis. horrendum ſanè ac miſerandum ſpectaculum, in quo paterni ſceleris liberorum innocentia pœnas dabat; & quod Pater ſupplicium de ſe debuit, hoc à filijs exigebat: non ideo minùs infelix, quòd alieno potiùs, quàm ſuo ſanguine expiabatur. Lugebant, qui ſecabantur; lugebat, qui ſecabat: ò infauſtam curationem, in qua pariter ægrotus doleret, ac medicus. Ad extremum exectis omnibus, & vulnere obligato: Iam bono animo eſte, inquit Hermotimus, pueri euirati conſortes mei, quos pater ea via, qua me præmiſerat, ad felicitatem introduxit. nec nos tamen obliuiſcamur huic fortunæ fabro reddere aliquam gratiam: Faciamus & nos ipſum

ipsum beatum, si possumus; nec suam illi felicitatem inuideamus. Nec mora hi spadones quattuor secandi rudes cultrario artifici tam docto, quàm veterano bulgas libidinum, & marsupia Veneris exenterarunt. Et adolescentuli quidem seruitio destinati per regios aulicos diuiduntur. pater cum exprobratione feritatis exploditur, & Chium relatus vitam in longum traxit fœdam pariter & ærumnosam. Id fortasse nonnullis crudelius ab Hermotimo factum videtur. & est planè si res ad normam Christianæ religionis exigatur, quæ omnem prohibet vltionem: non si consuetudo & licentia spectetur temporum illorum. Nam quod seruiens causæ dicebat Hermotimus, in ratione beneficij non animum, sed rem ipsam spectari oportere; id totum contra est. Animus est, qui vel benè, vel malè de quopiam meretur: idemque tam beneficio, quàm iniuriæ pretium ponit. At enim introspici & sciri animus non potest: id solius priuilegium est Dei. Certè non potest, ille si non vult. Sed cum se aperit, cum sponte prodit, quod in Pannonio fuit; potest. Nam cui obsecro perspicuum non est. Nec iure quisquam ingrati animi reum faciat Hermotimum. Ille namque tantam suam felicitatem cui quæso acceptam referre debuit? Stultissimum esse oportet si quis eam gratiam Pannonij, ac nō potiùs indulgentis aut miserantis fortunæ esse contendat.

Pannonius

Pannonius enim non hoc curauit, non hoc studuit, vt ea puero euenirent bona; sed illud tantummodò spectauit, vt ex eo plurimum lucrifaceret; dupliciter impius, & quia vulnerauit infantem, & quia vendidit innocentem.

DECADIS PRIMÆ
Exemplum Quintum

Argumentum.

Gabrina nobilis lena pudicam feminam ad facinus impellere conata, tentati sceleris meritas luit pœnas sibi acerbas, alijs iucundas.

Non fuit quisquam ex tot numero Sodalium, *aliorumque circa-stantium. quin meritò dicerent euenisse Pannonio, quod illius cupiditati, & crudelitati debebatur. Inde* Rex *ad* Cæsarem Caporalem, *A te, inquit, simillimum tui* Exemplum *festiuum ac lepidum expectamus, quod finem hodierno imponat sermoni, & nos hilares cubitum dimittas.* Cui Caporalis, *Æquum, inquit, postulas ò Rex: egoque iamdudum mecum huiusmodi aliquid ruminabar. Et si autem liberum nobis argumentum narrandi permittitur, vt qua cuique de re veniat in mentem, in ea pensum suum exercere possit; me tamen iuuat*

non recedere à materia, quam à principio inchoauit Ergaſtus, *& ceteri hucuſque perſecuti ſunt de condonatione aut vindicatione acceptarum iniuriarum. Circa quod Hermotimi cruda vltio quorundam animos reliquit incertos atque ambiguos, vtrum magis probarent improbarentue. quam ego autem ſum relaturus Caſtæ Mulieris aduerſus veneficam anum, ſpero vobis ſingulis ex æquo laudabilem atque honeſtam viſum iri.*

IN quadam Ciſalpinæ Prouinciæ Ciuitate, quæ ſe hoc loco nominari non vult; ſed factum narrat teſtis locuples, collector Exemplorum, Diſtinctione quinta, Capite octogeſimo. In ea igitur opifex fuit materiarius, homo pauperculus; ſed idem pius, induſtrius, laborioſus. huic bella, elegans, & venuſta; ſed eadem admodum pudica vxor obuenerat. quam cum miſere arderet, ac deperiret vir Clariſſimus ciuitatis, nec potiundi ſpes præberetur; ad anum quandam confugit (Gabrinæ erat nomen) quæ caſtitatis expugnandæ mirum artificium tenere credebatur. ea magnis donis, & maioribus promiſſis onerata, quanquam nec lignarium illum maritum, nec caſtam eius vxorem cognitam haberet; pollicetur tamen ſe paucorum dierum interuallo rem feliciter confecturam. poſtridie igitur die operario cum maritus domo abſens in lignaria taberna opus faceret, Gabrina confert ſe ad Eluidiam (ita lignarij vxor vocabatur) & cum

illa

illa fabulans apud ignem, percontari cœpit quamdudum matrem amisisset, quod suum, quod illius, quod auiæ nomen fuisset. Ad quæ cum Eluidia singillatim respondisset, & vera suarum nomina edidisset; anus lætitia exultare, ac præ gaudio (vt videri volebat) vbertim flere, quòd diceret Eluidiæ matrem, magna secum propinquitate, sed maiore beneuolentia fuisse coniunctam: mox callidè vera quædam intermiscebat de matris marito, de moribus, de ingenio, quæ nec Eluidiæ quidem incognita erant. itaque simplex mulier facilè credere: vetulam in propinquos recipere: modò amitã, modò auiam, interdum mammam (vt regionis mos est) vocitare.

Hic Gabrina, SED tu, inquit, ò mea filia, qualem nacta es maritum? Ego, inquit Eluidia, non diu est cum nupsi pauperculo, sed valdè frugi ac bono viro, qui lignariam exercet. Indignata est anus hoc audito, & Heu heù clamare cœpit, nostrum genus, nostra progenies quò nunc tandem redacta est miseriarum! ah quantùm me tui miseret, pudetque Eluidia! cuius maiores honestissimum in Ciuibus locum tenuerunt: at te fruitur ignobilis falignarius. quod cum dixisset, suspirabunda statim recessit atque abijt. Quarto post die ad Eluidiam reuersa: Vehementer, inquit, sollicita sum mea filia vicem tuam. nec sanè quicquam magis laboro,

quàm

quàm vt refurgas ab hac miferia, in quam inuidens fortuna tuam nobilitatem,& florentes annos proiecit. Hoc ergo interim fcito, Eluidiola mea. Vir eft Clariffimus & ditiffimus Ciuitatis, qui fupra omnem modum diligit pudorem, modeftiam, pulchritudinem tuam. Quæ fi coniugata non fores, haud dubitaret te fecum iungere legitimo matrimonio. condicio mihi non videtur repudianda, nec contemnenda. nefcimus quantò vltrà producturus fit animam lignarius tuus, qui te amplius decem & fex annos antecedit. fi fortè fortuna propediem vidua fieres, ò te omnibus matronis feliciorem! nuberes in familiam te dignam, in ampliffimas opes, in perpetuam tranquillitatem. Volo interim non afpernemur gratuitum hunc amorem, & fpem hominis fouēdo alamus in euentum fortunæ. Tu interim, mea filia, induc animum ad redamādum & complectendum, qui fe totum tibi commendat dicatque. Tunc Eluidia, Plurimùm, inquit, debeo tibi mater de hoc ftudio fubleuandi paupertatem, & fordes meas. non enim faceres, fi me non amares. ceterùm hoc fcias velim, mihi non difplicere præfentem fortunam, & deteriora, fi fortè imminent, æquo animo effe laturam. Mihi vnum hoc decretum eft, Caftè & piè viuere. quod fi effecero, fpes eft Diuinam clementiam mihi femper præfto futuram. Non placuit vetulæ generofum & pium refponfum.

ſum. tamen quaſi placuiſſet; Nunc verò inquit, amo te vehementius, & longè pluris facio, quàm dudum faciebam. O fortis & excelſi animi mulier, quæ ſola didiciſti vel ingentibus diuitijs præferre honeſtam paupertatem. Et complexam atque oſculatam reliquit.

Altero poſt triduo aut quatriduo reuertitur &; Eamus, inquit, mea filia, viſitemus ſacram Ædem Sodalium Heremitarum extra Vrbem. magnas opes lucrabimur, & domum referemus Cæleſtium Indulgentiarum. Eluidia nihil metuens, & nihil ſuſpicans mali, cum vetula religioſum iter ingreditur. inter eũdum ad compendia viarum, vt magnis in vrbibus fieri ſolet, tranſiere porticus, & veſtibula peruia, ſiue Principum, ſiue Ciuium clariorum. in his fuit domus hominis opulenti & nobilis, ad quem vetula ex-compoſito deducebat Eluidiam, Eò igitur cùm ingreſſæ forent, anus ſimulat ſe feſſam de via, progredi vlteriùs non poſſe, niſi paulùm aſſideat quieſcátque. Non repugnat Eluidia: ſic ambæ in anteriore cubiculo conſederunt. ſed anu callidè moram trahente, ac ſubinde non nihil de amoribus ogganniente, tunc primùm Eluidiæ ſuſpicio incidit inſidiarum. Et pertæſa credulitatem atque ſtultitiam ſuam, qua ſe ratione inde ſubduceret, cogitabat. Fruſtra: iam diues adeſt palatij dominus: fores à tergo clauſæ: ſi ſponte obſequi nolit,

vis paratur: ferrum in manu eſt: morietur, ſi emiſerit vocem. Illa igitur humanis deſtituta remedijs, ad diuina confugit, & Deiparæ Virginis implorauit auxilium, quod innocentibus & enixè precantibus nunquam defuit. Mox vultu exhilarato, & exporrecta fronte anum in angulum ſeducit, & hæc ad aurem inſuſurrat. Ego mea Mater, quod ſuades, faciam non grauatè: dum mihi quoque ſtet fides, quam dediſti. ceterùm ſcire habes, me hac nocte paſſam eſſe, quod mulieres ſolent: & ſcis venenũ, ſcis periculum. præſtat vnum biduum aut triduum intermittere, nec haurire cum exitio voluptatẽ: mihi commodum erit ſemper redire, cum voles. Probauit anus conſilium, & amator non reprobauit, fide accepta, poſt biduum redituras.

Cum ergo ad Eluidiam remigraſſent, illa vetulam liberaliùs excepit, quàm ſolita erat, & cum munuſculis domum remiſit. Interea tres robuſtas & valentes vicinas ſibi amiciſſimas vocat, iubet præſto eſſe poſtridie ſub horam nonam, & in cubiculo ſuo tantiſper latere, dum anus veniat, qua-cum de illo temporis puncto conuenerat. Iam inſidiæ locatæ fuerant: ecce hora, ecce anus. Eluidia cum ingenti exceptam lætitia & plauſu, ſecum in cubiculum deducit, vt ſibi præſto adſit comam componenti, faciem pingenti, & veſtes ornatiores induere volenti, vt amorem

ac

ac desiderium sui maius excitet apud diuitem amatorē. Probat vetula consilium, & sinè omni cura cubiculum ingreditur. Fores illico claudit Eluidia, & mirabūdam anum sic alloquitur; Memento, mea vetula, quòd tu quoque nudius quintus ita me in alienas ædes intruseris, vt ego te hodie in meas. Vtinam, respondit anus, qua tu causa retinebaris, hac me retineas non me prohiberet, quæ te prohibuit, quominùs animo indulgerem, & mihi iucundè facerem. Diuinasti, ait Eluidia, diuinasti: amator te pręstolatur: & in lectulo tibi decumbit. Exue igitur hanc tunicam: nec trahe vlteriùs desiderium tuum, vel amantis. Crediderit, non crediderit, incertū habeo. hærebat stupens, & non mussabat: cum Eluidia, Præsto este ò Camerariæ, deuestiamus verecundam puellam, & quam merita est bonam gratiam, referamus. extemplò à feminis nudata, binis vtrinque scopis insigniter vapulat. clamare interim misera tam dolēter, atque tam validè, vt omnes in lignariæ domum vicinas excierit, plerasque cōscias; à quibus cubiculi ostio fortè recluso, non cunctata est vetula, & se nudam eiulans, obtestās, & fidem omnium implorans per apertas fores eiecit: deinde in viciniam erumpit tanto à spectantibus, & rem scientibus ludibrio habita, quàm Eluidiæ factum prouidum, ac lepidum, omnibus probabatur, & magnis vndique laudibus ferebatur in Cælum.

Qua commodùm expedita historia, & cum risu plausuque omnium excepta; cum sese Archelaus *ad dicendum compararet, praeueniens* Rex; *Operæpretium, inquit, nos exist mo facturos, ingenui* Sodales, *si nostras* Narrationes *in duo tempora partiamur, alterùm antè cenam, alterum antè cubitum. & horum vtrumque suam occupet* Exemplorum Semideca. *Venit hoc adeò in mentem mihi ex aliquot causis, quas accipite breuiter.* Exempla *hæc vestra longiuscula sunt, nec ferè videntur mihi (quod fateor) explicari posse concisiùs. Itaque si continenter integram* Decada *cenemur haurire incenati; verendum est, nè in nimiam noctem mensa producatur, & auribus ampliter saturatis, venter inedia languescat. Nòn sumus nos ex illo Procerum numero* Sodales, *qui meridie surgunt, prope noctem pransitant, & cenant sub Auroram. Quibus minime displiciturum reor fuisse, quod Caligula imperauit, vt noctu opificia & negotia fierêt omnia, dies dormirentur. minimè nos quidem istiusmodi. sed manè ante Solem, aut saltem cum Sole surgentes, totum fermè diem venationibus, piscationibus, aucupijs operosè transigimus. Adiunge, quod instituto à maioribus tradito, rure quidem tenuiter admodũ atque frugaliter prãdemus, plerumque stantes, raro accumbentes. Vt cenam preferre vltra secundam noctis horam, nec expediat valetudini, nec ego arbitrer cuiquam nostrum optabile futurum. Porrò autem his anni temporibus longissima noctes contingunt, nobisque ante primam vigiliam cenatis nec talus, nec fritillus, nec alea vlla nimiùm placet. Noui ego ex longa consuetudine ingenia vestra: & vos*

singuli meum. nulla obuenire nobis potest optabilior, nulla inquam haustu liquidior atque iucundior voluptas, quàm si ad noctem circiter mediam nunc iocò, nunc seriò fabulari ad hunc modum liceat circum-sedentibus, atque hunc coronantibus luculentum caminum. Spero præter hæc vtramque rem nobis plusculum & commoditatis, & vtilitatis, & suauitatis allaturam, dico primùm interpellatam, & in duo diuisam tempora Narrationem: *dico secundùm intermediam cenam, vtrinque hilaratam & quasi conditam lepido sale mirabilium actionum. Quòd si forsitan in longum congressus traheretur, imo adeò quanquam nec in longum* Rex *conuiuij facio iam nunc, & factam volo tam dicentibus, quàm audientibus bibendi potestatem. Nos verò, inquit* Archelaus, *(vt pro his etiam iunioribus respondeã natu grandis) non probamus tantummodò nouum consilium, sed etiam atque etiam commendamus: metientes ex antedictis interuallum sanè longius excurrẽdum, & tolerãdum, prius quàm reficiant epulæ nocturna diurnum laborem. Vnum vereor* Franciscum Coppettam, *nè fors nobiscum non sentiat, frui solitus delicijs Musarum, & eo patiens inediæ longioris. Verùm enimuerò dabimus vtile consilium, & illi facile ad exequendum, vt sumpta lyra nobis cenantibus fatum sui Corydonis moduletur. cantus paulò longior, paulò intentior nobis afferet voluptatem, illi opinor maturabit famem. Iocari videtur* Archelaus, *ò* Rex, *inquit* Coppetta; *sed non iocatur. Musas meas concoquere vnus omnium nõ potest. harum quicumque insectandi datur occasio, nunquam prætermittit. Otiosum*

ac

ac ſegnem me vocat, quiſquilias (vt ille appellat) interdum canentem : illos non vocat, qui totum diem ſedendo, deambulãdo, nihil agendo corrumpunt. At Nihil agere, ſubiunxit Archelaus, *eſt certè laudabilius, quã agere aliquid minùs agendum. Ac mitto cetera, quæ huius temporis, huius loci non ſunt. dicis ipſe aduerſum te graue teſtimonium. Laudes Nihili recordare, tuum Canticum. cui quidem & pauculis te dignis libens condonarim Adonas & Alexidas. quos ſi non defendit, ſaltem excuſat tenerior ætas, nunc ab adulto quæ poſtulentur, & ipſe omnium optimè intelligis. & ego tamen ſuggerere aliquando veritus non ſum, ſtudio impulſus erga te meo. Muſas videlicet non concoxi: verum eſt: aliquando nec deuorauí, & ſtatim reſpui libatas: nempe duriores ac ſordidiores, quàm meus vel palatus excipere, vel ſtomachus admittere ſuſtinerent. Verùm hæc aliquis non temere culpauerit, vt importuna, & ab inſtituto noſtro aliena: ſi quidquam importunum & alienum cenſeri fas eſt, vnde non ſolùm vrbana, ſed etiam pia vitæ ratio pendere videatur. Conantem ad hæc aliquid* Coppettam, *cui* Philander, & Caporalis *fauebant: Ad hæc* Regem *ſilere omnes iubentem puer à triclinio interpellat, ad cenam vocans. Nec mora dantur manibus lympha: ſacrat epulas* Pamphilus: Rex *honeſtiſſimo loco, ceteri vt quemque ſors diuiſerat, lætantes, ac lepidè iocantes diſcumbunt.*



DECADIS PRIMÆ

Pars Secunda.

Exemplum Sextum

Argumentum.

Vgo Blancam decem ipsos annos perditè amat, nec amatur. ad extremum insperato euentu mulier victa, sponte vocat amatorem, & se illius permittit arbitrio. Amator noui amoris causa intellecta, quò pertinacius erat secutus fugientem, hoc generosius repudiat, & eludit se offerentem.

Mensis remotis, & Deo actis gratijs, vbi ad ignem omnes consedere, paucula de rumoribus, qui dudum ex Vrbe aduenerant collocuti: Rex *ad* Archelaum, *Tua, inquit, si commemini sors est* Archelae. *Repetas licet, cum tibi libet, sequentium ordinem* Exemplorum. *Nostra omnium sunt (pro his etiam vt respondeam, te secutus magistrum) parata aures ad auscultandum.* Mox Archelaus, *Quanquam, inquit, liberè vagari nobis permissum est per omnes materias, per omnes populos, vnde miranda rerum euenta capere liceat, ad nos nostramque aut rem-*

publicam, aut rem priuatam prudenter administrandam: me tamen iuuat non discedere à Patria, cum id commodè facere possum, & recordari aliqua strenuè, fortiter, constanter, piè gesta ciuium maiorumque nostrorum. quale vnum in præsens mihi succurrit ad narrandum breue, sed cognitu dignum, auditu iucundum, imitatu honestum, sed rarum.

ANni sunt circiter quadringenti, tum cum Augustam Perusiam, diu exactis popularibus, nobilitas moderatè, liberaliter ac prudenter administrabat: inter cetera temperati, & abstinentis animi documenta, hoc in longum fulsisse testis admodũ locuples narrabat Alfanus. quod temporum iniuria, & scriptorum inuidia latitans, ac prope fugiens, reuocandum nobis est prodendumque ad gloriam, ad exemplum. Illustre per tempus illud Perusiæ fuit genus & familia Barsiorum, ex qua ortum colimus, & Vrbi Præsidem cum ceteris adoptauimus S. Constantium. In ea vir fuit ætate, gratia, opibus insignis: Huguccionem ciues appellabant: ille Hugo dici malebat. Hic nobilem matronam egregia forma, & omnibus animi dotibus præstantem, nomine Blancam, sic infeliciter amabat, vt perpetuo ipso decem annorum obsequio, & ingenti dispendio pecuniarum, quas profundere amatores solent, in se ornandis, & domestica suarum amicarum familia demerenda; tamen

vnum

vnum redimere non potuit, aut risum spei aliquid spondentem, aut suauem assensum oculorum, aut denique oris habitum lætiorem. decimo tandem anno sub æstatis initium, cum femina virum suum secuta illustrem equitem de Roggerijs, in rus amœnissimum suburbanum se contulisset; Barsius non procul ab ea villa profectus aucupatum, falcone ad capturam dimisso, circum agros & subiectam planiciem molliter equitabat. fortè accipiter, quem auicula captabundum fefellerat, in Roggerianos se hortulos recepit, & in arbuscula sub ipsis Blancæ oculis, quæ cum marito de specula celsiore spectabat aucupium, consedit gemebundus. vt ego arbitror, redire ad Dominum non audebat inglorius; & fortasse iram hominis metuens, eò potissimum refugerat, oratum auxilium. Hugo per puerum à Roggerio impetrat, vt se in hortum ingredi patiatur, & accipitre in potestatem redacto, actis comiter gratijs, perrexit ad villam, quam vltra eum locum tria passuum millia distantem incolebat. eo digresso, Roggerius cum vxore in hunc sermonem ingressus, homo minimè suspiciosus & femineæ leuitatis ignarus, cœpit Barsium laudare tam effusè, tam vehementer, vt vxoris constantia diu secum luctata, cesserit tandem, & vltro eum hominem amare cœperit, cuius preces lacrymasque contempserat. ergo post triduum marito peregre profecto,

nec redituro ad dies pauculos, impatiens noui amoris & flammæ mulier per ancillam expertæ fidei nunciat amatori, vt ad certam noctis horã præsto sit in pomario, quà tutissimus in ædes aditus patebat.

Mirari Barsius hanc tantam, tam inopinatam, & tamdiu frustra speratam fortunæ indulgentiam: gratulari suæ constantiæ in amando, nec parui æstimare victoriam, quam sibi decennalis obsidendi labor peperisset: etiam accipitri suo benè velle, qui tanquam deprecator accessisset ad dominam, & de arbuscula lætum suo hero flesset augurium. venit igitur ad destinatum mutuis voluptatibus locum, nocte vna tot annorum incommoda pensaturus. cumque à femina statim inuitaretur ad vltimas, & nimium maturas Veneris fruges capiendas, decumbere hominem lectulo iubet, in quo prius ipsa decubuerat. nec cunctatur obsequi Barsius: & deposito pallio, sedens ceteras sibi vestes detrahere festinabat. sed inter exuendum id homini accidebat, quod præproperè properantibus contingere solet. quanto celeriùs expedire se conatur, tanto magis implicatur identidem: vnum nodum relaxat, & tres quattuor adstringit imprudens. itaque moram trahit longiorem, quàm cupiebat, & cupiebatur. Interea duæ ingentes perturbationes animum hominis occupauerant, & æquis inter se viribus contendebant, vtri prius explendi

sui

ſui facultas daretur, Voluptas, & Admiratio. nec dubium, quin longè præferenda voluptas fuerit ſi continuò res peragi potuiſſet. ceterùm mora perficiendi poſtpoſuit voluptatem, & fecit admirationis cauſam meliorem. hoc magis, quod de illa nihil detrahi videbatur, admiratione prælata: potius ſecuriorem ac ſuauiorem fruendi copiam putabat futuram, ſi prius aduerſaria pelleretur ex animo, nec id quidem iniuria. quoniam cor vrit admiratio rerum inſperatarum, & quieſcere dubiam mentem non permittit. Quamobrem mox cubiturus: Rogo te, inquit, mea Domina, vt hunc mihi ſcrupulum eximas, qui non nihil afficit animum, nec ſinit ad plenum frui benignitate, & indulgentia tua. Quænam hodie ratio te impulit ad me vltro arceſſendum, quem contempſiſti, & eluſiſti tamdiu? fac ſciam, cui rei hanc noctem tam exoptatam, tam inſperatam referre debeam acceptam; & prius quàm beas me, dic agè cauſam beandi. Tum illa: Occupaſti petere, inquit, quod ego dicere geſtiebam: & cubanti prius dixiſſem, quàm hæſiſſem. Meus vir, inquit, tertio ab hinc die, cum te aucupantem de feneſtra conſpeximus, tam multa & tam mira de tuis laudibus prædicabat, vt negaret eſſe alterum in Peruſina nobilitate, qui tecum in omni virtutum & morum genere conferri poſſet. Quæ tam ampla mariti laudatio, quaſi fax Cupidinea, nouam
 flammam

flammam in hoc pectore accendit, à qua gelu partim consumpto, partim in lacrymas resoluto, tota illico exarsi in amorem tui. & videbatur veniam amandi dare, qui dabat causam. Commotum est generosi animi pectus ad hanc narrationem, & magis illum mariti sincera laus, quàm vxoris nouus amor delectabat. Itaque moram nullam interponens, è lecto prosilit, quem iam intrarat: & Heu heu, inquit, quantum flagitium admissurus fui infelix! virum optimum, & mei sic amantem, immortaliter lædere præsumpsi, pariter impius, pariter ingratus. Ego ne tantum facinus, non dicam aggredi, sed concipere animo potui, vt thalamum eius violare auderem, pro quo debui, si opus foret, vitam profundere? Ah magni Cœlites non sinant, vt spem fallam de me susceptam, & pro insigni laudatione, insignem referam contumeliam. nec dictum res morata. vestes resumit æquè properanter, sed faciliùs atque feliciùs quàm deposuerat, & doloris pœnitentiæque stimulis concitatus, quà intrarat, erupit, seseque ab omni fœditate purum integrumque seruauit.

Crediderim ad tale spectaculum gratulatos risisse Angelos circa stantes, & micantia cœlo sidera, solito amplius effulsisse, vt via pateret illustrior triumphanti. Contra spiritus ille nequissimus, qui fœdos vtrinque ignes accenderat, & ratus continenter arsuros, facem aliò conuerterat

otiosus

otiosus: tum credo accusabat negligētiam & festinationem suam, qui abire properasset, nec luctam expectasset amantum. sed idem Plutoni facilè se purgabit, si hoc tantùm dixerit: Iam pridem Hippolytos, & Iosephos habere mundus desierat. quis putasset, non satis superque ad victoriam fore, quod parauerám? Summum in hoc genere votum est, si simul sunt, & tutò sunt, qui amantur: maiorem à nobis operam nec tu requiris, nec præstare ipsi possumus, si requiras. Tametsi mendacissimus est, nunc vera dicere Asmodeus videtur. nam si putum panem esurienti, & puram vndam sitienti porrigere satis est, quis hunc censeat recusaturum lautissimas epulas, & vinum Lesbium aut salernum?

DECADIS PRIMÆ

Exemplū Septimum

Argumentum.

Auceps Misotheus Calatinus impiè dicax in Deum, & Sanctos Dei, horribile supplicium luit, viuens esca serpentum, & turpium bestiarum.

Attonitum facti nouitate honestum Auditorium *aliquousque silentium tenuit, & alter alterum*

alterum intuentes, vix ad vltimum stupore resoluto, Barsianam generositatem verè admirandam, verè Augustam certatim tollere laudibus, hunc Alexandris, hunc Scipionibus longè præferentes. Porrò illos ad temperandum commouerat, non dicam quod aliqui dicunt, Virtutis quædam imago: per me quidem fuerit Virtus, & Heroica virtus: hoc certè dubium non est, gloriæ calcar, gloriæ speciem valuisse multùm ad stimulandam, blandèque alliciendam Virtutem: res enim in maximo populo, à clarissimis ducibus, tanquam in Orbis theatro gerebatur. vt quicquid agerent, dicerentue honestum aut turpe, fama esset exceptura seculorum. At in Barsio nihil huiusmodi reperias: nulla homini fuit vel gloria, quam peteret; vel infamia, quam metueret. Nocte concubia, semotis arbitris, solus cum sola, rogatus vltrò expetitam diu fugit amplexari, & nequam facere non sustinuit ob eam tãtummodo causam, ne aduersus laudatorem suum esset ingratus. Verùm enimuero, subiunxit Vbaldus, *Vgo iste magnum atque mirificum tulit continentiæ suæ fructum. Audiui ego non semel gentilem meum, cum diceret Vgonem paulò post Sacris initiatum piè admodum vixisse, ac senem decessisse eum magna opinione sanctitatis. Quin etiam ad Blancam, resumpsit* Archelaus, *præclari facinoris meritum redundauit, quæ tunc pudore iraque succensa, quòd se despectam & ludibrio habitam putaret; ad se quacumque via, & ratione vlciscendam animum appulit. Postea verò quàm videt hominem diuino cultui penitus addictum, omnibus renunciare negotijs cuiusque mortalium: pertæsa*

tasa duplicem libidinem prius adulterij, posterius vindictæ, fleuit ex-animo peccatum suum: & quem perdere voluerat castum amatorem, ei post Sacerdoti honorem cultumque exhibebat, in admirationem odio conuerso. Iam silentium erat, post longius interuallum facti admiratione leuata: cum Rex *inspecto narrantium albo, Te, inquit, sors poscit* Vbaldum: *si quid forsitan simile habeas, quod parem nobis afferat cum admiratione voluptatem. Ego vero, inquit* Vbaldus, *de admiratione non dubito. m u erit æquè admirabilis, at non æquè optabilis euentus. Itaque negarem de voluptate, nisi me Cicero docuisset, quod illum Natura docuerat* SIC se res habere mortalium, vt ex audiendis, aut spectandis aliorum calamitatibus ingens veniat voluptas ad securos, & periculi expertes. Propter quæ licet interdũ lacrymari contingat, illa tamen misericordia est iucunda, & gemitus tanto suauior, quanto est casus atrocior.

FVit homo menses aliquot apud Gryphonem & Carolum Balionios fratres in magna gratia, propter mirificam aucupij peritiam & sagacitatem; cum esset alioqui tantorum virorum contubernio, & consuetudine indignissimus, propter nefariam atque sacrilegam dicacitatem. Horresco scribere, quæ de blasphemijs & maledictis impurissimi hominis referuntur; nemo erat illi tam præsens atque amicum Numen, in quod procaciter inuehi non

 soleret.

ſoleret. Beatos Viros memorabat memoriter, & ſingulis propria conuicia gaudebat inurere: vt videretur in hunc vſum catalogos edidiciſſe Sanctorum, quo maiorem haberet copiam execrandi, & identidem noua formula imprecationis occurreret. Hinc illi cognomen Miſotheo fuit, quod paulatim in nomen tranſijt, vt vitium tranſierat in naturam. hanc propter cauſam extruſerant illum domo Principes Balionij, paucis ante diebus, quàm hoc illi obtingeret, quod iam exequar.

Exierat homo cum amiculis, & vno tantùm vel altero puero aucupatum, circa Idus Octobres, in vallem minimè præruptam aut ſilueſtrem: cumque accipitrem prædandi auidum emiſiſſet in turdulos: illi commodùm ſeſe ſubducunt, & celeri flexu hoſtem fallunt. ſpe fruſtratus accipiter, quaſi ad dominum reuertere inanis non auderet, ſtudio delendæ ignominiæ, proceſſit longiùs, & alias ſubinde aues ſollicitabat captabundus. illum Miſotheus elatis in ſublime oculis, pedes ſequebatur; & auem quidem omni blanditiarum genere compellabat, in cælum verò atrocia & nefanda iactabat conuicia; cum repente decurrens labitur in puteum, arentem illum quidem, ideòque non margine vllo, nec ora munitum, quæ ruenti poſſet opponi: ceterùm bufonibus, ceraſtis, alijſque ſerpentibus refertum. Inclamat miſer pueros, amicos, colonos, ſi qui in proximo:

Cœlites

Cœlites etiam, & Beatam Virginem aduocat, serò pœnitens iniuriarum & execrationum, quas meritò ait in suum caput recidisse. puer vnus non longulè aberat: casum tamen non viderat, sed vocem & questum hauserat. Vocat igitur comites & agrestes ad ferendam opem domino laboranti, quem ille tamen vbi esset, aut quid quereretur, ignorabat. os quippe putei rubis ac vepribus obstructum, rem occultabat, & collis circa horridus incultusque, densis virgultis atque iuniperis, omnem propè ademerat peruestigãdi facultatem. iam comites agrestesque conuenerant, sed herum frustra oculis requirebant. mox repetiti questus & eiulatus aures verberant, locum indicant, & casum docent. Extemplò funes, perticæ, aliaque ad extrahendum machinamenta properari: partim vepres & virgulta succidere, locumque expedire: partim quærere & conuocare adiutores ad rem moliendam: nonnulli ex alto consolari vociferantem impatientiùs; iubere ad Dominum vota facere, totum se diuino præsidio misericordiæque permittere, mox saluum atque incolumem extractum iri. Iam & multa colonorum turba confluxerat, & pro sua quisque copia rem adiuuabat. Fortè fortuna ilex annosa & valida, circiter quinos aut senos pedes à puteo aberat, robustis ramis, quasi bracchijs intransuersum ita protentis, vt non natura, sed de industria

comparati esse viderentur ad partem ponderis subeundam. his igitur crediti funes demittuntur in puteum, ad quos impigrè applicat se Misotheus, hortaturque commilitones infimis precibus, & pollicitationibus, & obtestationibus, ad se celeriter ac strenuè sustollendum. illi cum fidelibus ramis onere communicato; per eorum terga stridentia funem reducunt, sibique inuicem gratulantur, quòd feliciter procedere opus videbatur. & certè procedebat: eccum ipsum sublime, ad marginem prope putei renatum Misotheum. sed (heu miserum horrendumque spectaculum!) tot vndique serpentibus implicatum, cruentum, lacerum, vt perterriti agrestes, qui subsidio venerant, alius aliò fugam arriperent, & vix pauci de comitibus resistere auderent, qui coniunctis viribus funem trahebant. Fatum Laocoontis in mentem venit, cum recogito. nam hunc quoque (vt referunt) iam iam exiturum immanes duo angues,

——————— suffecti sanguine & igni
Sibila lambentes linguis vibrantibus ora,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: & iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite & ceruicibus altis
Ille simul manibus tendit diuellere nodos,
Perfusus sanie vestes atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit.

Nihilominus fidi comites promptè atque alacriter operi incumbebant, cum de-

impro-

improuiso repentes per funem angues, trahentium nudas manus petebant. tum verò nihil propemodum abfuit, quin ab incepto desisterent, funemque desererent. sed vicit formidinem misericordia; tantùm rogant villicum, eius incolam regionis, qui falcem domo extulerat, ad sepem rubosque dudum runcandos, vt propinquum manibus serpentē feriat abigatque. Ille non ausus prope accedere, falcatum sparum altè sublatum, totis viribus in serpentem funibus implicitnm librat. sed angue ictum declinante (o rem miseram, ò acerbum fatum!) funis ipse reciditur, & infelix Misotheus præceps relabitur in profundum. Biduo post, Decurionum iussu loco expurgato & exustis fugatisque serpentibus, exeso corpore, nuda ossa reperta sunt. Incredibile est quantum ea res terrorem omnibus circa oppidis pagisque incusserit: maximè autem exterrefecit Sabinates, Passinianenses, aliosque Thrasymeni accolas; concionatoribus vltro admonentibus, illorum in primis caussa, tantum extitisse prodigium. Miser supra omnes miseros Calatinus, qui viuens colubros & deterrima bestiarum suis carnibus saturauit: sed eò mihi miserior est visus, quod in spem prope certam salutis emerserat, minus misere periturus, si protinus desperasset: nunc crudelem cum illo ludum lusit fortuna, quem ideo paulùm erexit, vt lapsu grauiore concuteret. Sic

auxilia

auxilia conuersa sunt in tormenta, & spes viuendi in rabiem moriendi. minus fortasse truculenta mors erat futura, si ad vitam regredi neglexisset: certè infamiam, hoc est mortem secundam vitare potuit per silentium. Sed nimirum ita oportuit, ita æquum fuit; vt scelere tam infando damnatus, haud simplici mortis genere multaretur; & qui conatus erat diuinam iustitiam verbo subuertere, confirmaret exemplo.

DECADIS PRIMÆ

Exemplum Octauum

Argumentum.

Castus Iureconsultus pio commẽto primùm eludit, deinde ad sanitatem reducit nobilem Matronam illius amore flagrantem, & se ad stuprum pellicere studentem.

Vix narrandi finem fecerat Vbaldus, *cum* Rex *ad illum: Tua, inquit, historia commouit animum nouitate atque acerbitate supplicij. ceterum mihi quidem (& spero item ceteris) adeò lacrymas non excussit, vt nullum planè tumultum intus fecerit, & neque vllam penitus excierit commiserationem. Videntur enim nulla posse supplicia inueniri tam crudelia, & perpessu aspera,*

ra, quæ non huiusmodi scelerum atrocitate vincantur. Ita est, ita est, inquit Philander. *impium detractorem in ipsos etiam Superos dicacem nulla par, tantùm abest, vt aliqua superior pœna compescat. Hæc dicentem senior quidam è familiaribus, vir ille quidem rusticanus atque illitteratus; ceterùm iudicio acri, & auctor fide dignissimus, quem* Fortebracchius *ipse nunc altorem, nunc Parentem vocabat suum: hic igitur dicentem* Philandrum *interpellans, Ego, inquit, Blasphemum istum, quem dicitis, Misotheum Calatinum de facie noueram, sciebam impietatem, vidi supplicium. Puteus est, in quem cecidit haud amplius septem passuum millia distans in nemore apud fossam Bracchianam. Is nunc ostentui est non solum peregrinis & viatoribus, verùm etiam iunioribus accolis ad blasphemias vitandas. Lætata est honesta* Societas Exemplo *tam insigni additam sinceri & simplicis Viri oculatam fidem. Mox* Philander *Nonnulla, inquit, in hanc sententiam mihi quoque succurrunt* Exempla: *sed casus per se atrox, atque horrorem incutiens temperandus videtur hilariore argumento, quod pariter grauissimi scriptoris auctoritate confirmatur.*

NArrat igitur in suo Exemplorum Speculo Henricus, fuisse Neapoli virum omnibus naturæ atque fortunæ bonis ornatum, qui simillimam sui feminam in matrimonio habebat, tanta secum charitate ac mutuo cordis affectu iunctam, vt Penelopas Lucretiasque anteire non immeritò

merito putaretur. Accidit autem ſub tertium coniugij annum, vt marito longiſſimum iter, voti cauſa ſuſcipiendum foret ad ſanctam vſque ciuitatē, & ſepulchrum Domini viſitandum. lectis igitur comitibus, paratoque inſtrumento viatorio, iam iam daturus ſe in viam, & mox nauim conſcenſurus, ita Coniugem ſolus ſolam alloquitur. ME, vt vides, ad longinquam peregrinationem religio cogit, comites hortantur, & tempeſtas inuitat. ceterùm corpore tātùm à domeſticis laribus ſeiungar, animo ſemper tecum, & cum paruis liberis ſum futurus. Te obſecro & obteſtor per eum Dominum, qui nos coniunxit, ad cuius adoranda veſtigia me confero, primùm vt te mihi talem præſtes, qualem data fides, & generis claritas, & meus in te amor poſtulat; deinde vt communia pignora, & rem domeſticam, & familiam vniuerſam non aliter gubernes, me abſente, quàm conſueſti, dum præſens fui. poſtremò vt crebras ad Cœlum offeras preces pro noſtra ſimul adeundi, ſimul redeundi proſperitate, celeritate, ſalute. Femina ſingultibus & lacrymis ſermonem rumpentibus, polliceri facturam omni tempore, quod fides, quod honeſtas, quod amor & pietas cogeret: ſub hæc monere amanter & anxiè virum, vt cautè iter faceret, cautiùs nauigaret, denique cum Domino iret, rediret feliciter.

Nec ſanè dixit conſtantius quàm fecit.

ſiquidem

ſiquidem marito commodùm digreſſo, cum iuuenes clari & nobiles ſuæ pudicitiæ inſidias tenderent, & omnes ad expugnandum machinas adhiberent, ſingulos aut repulit, aut eluſit; vt quantum pulchritudo eius amorem cupidinemque exciuerat, tantam grauitas honeſtaſque induceret venerationem. ſed nimirùm illud veriſſimum eſt, quod ſanctiſſimi auctores tradiderunt, & multorum infelicia exempla confirmant: QVI malus Genius caſtitati bellum infert, eamque fortibus machinis expugnare contendit, hunc ſi mens generoſior, cœleſtibus munita præſidijs repellit atque in fugam conuertit, facile poſt capitur per inſidias, niſi cauet. hoſtis enim ſuis diſſidens viribus, ad ſuperbiam ſcelerum reginam ſe confert, rogatum auxilium; vnde olim traxit exitium. illa filias mittit, Præſumptionem, Securitatem, Negligentiam. quibus pugnæ ſuccedentibus, & victorem mulieris animum inflantibus: audite quantum in diſcrimen Caſtitas venerit, & quàm prope ſubuerſa fuerit. Matrona igitur hac ſollicitudine liberata, cum ſe in perpetuum eiuſmodi curis vacuam fore conſideret, ſecuriùs deinceps miniſtrare inſtituit rem domeſticam & ſuam: cum mariti procuratoribus, aut propinquis, aut amicis liberiùs agere, quàm ſoleret: frequentare ſacras Ædes, obire Virginum monaſteria, miſcere cum vicinis iucunda colloquia, nec adeò formidare

midare vti antea, prospectus fenestrarum, quæ foro vijsque publicis imminebant. ab hac licentia ortum est periculum, quod mox dicam, prodendæ fidei, & pudoris violandi. Cum enim de specula curiosos deorsum oculos verteret, incurrit fortè in os iuuenis prætereuntis tam elegans, tam modestum, & tam flexanimum, vt dum incauta cupidiùs contemplatur, eius amore ac desiderio se senserit esse correptam. cœpit ergo sagaciter odorari, & inuestigare quisnam esset. atque vbi comperit insignem illum esse Iurisconsultum, qui clarissimas Italiæ vrbes Proprætor administrauerat, antea sibi de fama, sed hodie primum de facie cognitum; lenta secum delibérat, ecquam rationē hominis conueniendi fruendique inire posset. Denique suum consilium nemini aperiens; mittit ad iuuenem, vt eo die sub vesperam à foro rediens, non grauaretur diuertere ad se domum: marito absente, litem aduersum se ortam esse magnam & impeditam, de qua statim communicare cum illo cupiat: sperare se atque confidere, vt eius ope, consilio, studio facillimè decidatur. Iureconsultus, vt erat non solùm scientiæ, verùm etiam humanitatis & officij plenissimus, ad prædictam sibi horam præsto fuit. mulier illum lætabunda excipiens, prope sedentem consedit. ac primò quidem insolens amandi, & rudis talium deliciarum, perplexè, inconstanter, & con-

cisè

cisè narrabat fabulam. nec se satis expediebat infelix, quid vellet, & cuia gratia hominem curasset arcessi. ceterùm quod lingua exequi non poterat, frons, oculi, totus denique oris habitus loquebatur. lingua etiam affectum cordis titubando confirmat, & magis explicat, dum inuoluit. Iuuenis modestè oculos in terram defixerat, & confessionem magis apertam velle exprimere videbatur: insolens ille quoque, aut dissimulans, amoris timidè prodeuntis, & cum ingenuo pudore certantis. ad extremum mulier, verecundia valere iussa, frenum laxat cupiditati, & nihil vsa circuitionibus: Amo, inquit, impatiens: & te rogo supplex auxilium: moritura, si negaueris.

Tunc Iuuenis vultu hilari, ac ridentibus oculis feminam intuens: Ago, inquit, tibi gratias immortales, & me supra ceteros fortunatum dicere audeo, quem nihil meritum pulcherrima, & splendidis orta natalibus mulier, vltrò sibi amandum putauerit. quam ego benignitatem indulgentiamque erga me quàm optimè intelligo, & libentissimè accipio; tam pessimè odi fortunam meam, quæ me nunc quidem non patitur tanta frui felicitate, ac statim mutuis obsequi desiderijs. Hoc enim scire habes Domina, quod cum ingēti ægritudine recordor & memoro. Superiore anno, cum Bononiæ causam viri primarij longè difficillimam; sed æquè bonam,

atque

atque honeſtam tuerer; aduerſarij clientis mei pariter nobiles & factioſi, tres quattuor diſtrictis gladijs, in me ſubito incurrerunt, perueſperi ad hoſpitium à foro redeuntem. Sinè comite, ſinè telo, nihil ſuſpicans, aut metuens mali, facilè vincor, multiſque foſſus vulneribus, inter quæ duo lethalia fuere, domum ad clientem meum deferor ſemiuiuus. Medici me intra ſeptimū diem haud dubiè moriturum denunciant. curatis igitur, quæ ad ſalutem animæ pertinebant; hoc Votum voui Deiparæ Virgini Annunciatæ, cui ſacer ille dies fuit; Si periculum imminens euaderem, & Neapolim incolumis redirem, vt me ſex menſium continua & caſta inedia macerarem, nec interim guſtarem aliud, quàm purum panem, & puram frigidam. Res Superum benignitate feliciter ſucceſſit: domum ad penates meos bène ſanus, & benè validus me recepi: nec vlla interpoſita mora, longum inchoaui ieiunium, cuius ad hunc diem quatuor elapſi ſunt menſes, à me fortiter tolerati. nunc duo tantùm ſuperſunt, qui vbi pariter exierint, ſcito me in tua futurum poteſtate.

Ingemuit cupida mulier ad tantam moram: eo magis, quòd ſuſpicabatur facilè fore, vt voluptatem longiùs dilatam mariti reditus præuorteret, & fortaſſis impediret: certe tardaret, redderetque adeptu perdifficilem. Sed non auſa tam pium, & tam

& tam honeſtum amantis propoſitum reprehendere, dolens querebatur fortunam ſuam: mox iterùm illi Iureconſultus: Habeo, inquit, ſi hoc longum nimis videtur, certum modum dimidiandi & breuiandi. Votum ita concepi, vt poſſem cum altero partiri, ſi quis mecum abſtinere vellet, & partem mei oneris in ſe recipere. Non tulit vlteriùs loquentem mulier, & interpellans: Ego, inquit, ſubibo libens: nec me labor iſte grauabit, qui ſimul minuet moleſtiam tuam diuidendo, ſimul augebit lætitiam meam, celerando. Rebus ita compoſitis, & bimeſtri ieiunio ad menſtruum redacto, mulier bona fide abſtinebat, nullo veſcens obſonio, vinum non guſtans, & ſemel eſitans quotidie. at non diu talem inediam pati potuit delicata & nobilis matrona, quantumuis roboris libido & ſpes darent. vix quatriduum durauerat, cum implicita difficili morbo, & ſibi ipſa diſplicens, mori exoptabat. quo in mœrore cum ſe ad Chriſtum Dominum conuertiſſet, ac Sanctiſſimæ Virginis patrocinium imploraſſet, pertæſa ingentis flagitij, quod intenderat, ita ſecum lamentabatur. O me atrocibus atque perpetuis dignam ſupplicijs! quæ omnibus bonorum copijs ſuperfluens, tam indignam & tam ingratam reddere gratiam moliebar. infelicem conatum, & contra omnem naturæ ordinem à me ſuſceptum! ſiquidem inediæ, macerationes & alia corporis afflictamenta

ctamenta, cur à mortalibus obeuntur, niſi vt temperantiam diſcant, & ſe Domino caſtos exhibeant? ego mortalium miſerrima ideo me ſic excrucio, vt libidini ſeruiam, & pudicitiam contaminem. Infelix peregrina, ſi quæ ad virtutem via proponitur, ea ego præceps rapior ad flagitium. fœdus eſt traiectus, ſed tamen ordinarius per epulas ad luxuriam; meus eſt ad hanc diem inauditus per abſtinentiam. credo, parum erat ad caſtra incontinentiæ tranſitum facere, niſi comite ac duce vterer cõtinentia. nec decebat feminam illuſtrem peccare vulgariter: per ieiunium molita ſum adulterium, hoc eſt ad pudicitiam expugnandam ipſis pudicitiæ armis abuſa. ſcelus duplex, quia tentaui, quia ſic tentaui.

Quibus querelis cum fortè ſagax ille ac pudicus iuuenis ſuperueniſſet, mulier ſimul macie confecta, ſimul pudore confuſa, & acutis pœnitentiæ ſtimulis ſubacta, primùm ab illo veniam meditati facinoris ſupplex petit, deinde agit immenſas gratias, quòd admodum idoneo & ſalubri remedio ſuam cupidinem refrenaſſet, ſiue vera illa eſſent, ſiue non vera, quæ nunciauerat de votiuo ieiunio. Ille mitiſſimis verbis mulierem conſolatus: De meo, inquit, periculo, & de acceptis vulneribus nihil mentitus ſum: ac ne de voto quidem affinxi quippiam præter tẽpus. dixi enim quotidianum fuiſſe meũ ieiunium, quod

tantum

tantum fuit hebdomadarium: nec niſi ſingulis ſabbatis à vino & obſonijs ex voto abſtinebam. nunc Deo ſimul gratias agamus, quòd tum mihi tam ſalutarem ambobus dolum inſpirauerit. tu verò quod ſuſpicaris, adeſſe tibi ſupremum mortis diem; grauiter erras. quamquam enim per inediam tam inſolitam propè conſumpta & confecta tibi videris: tamen hoc ſcito, ſi te dapibus & vino paulatim refoueris, hoc biduo eſſe intellecturam, quemadmodum eadem medicina non ſolum animo ſalutem, ſed etiam corpori robur & vires tulerit. atque ita penitus eſt factum. quare mulier ad optimã & iam duplicem ſanitatem reuerſa, hunc deinceps morem inſtituit, & tota vita conſtanter retinuit; vt per ſingulas hebdomadas vnum diem ieiunio aſperiore trãſigeret id quod ſimul ſtomachum inſtaurabat poſt ſex dierum defatigationem, ſimul animæ proderat ob peccati recordationem.

DECADIS PRIMÆ

Exemplum Nonum.

Argumentum.

Duo Cremonenſes ob latrocinia capite damnati, callido Patrui conſilio, & importunitate

tunitate veniam extorquent. ea tamen inopinato casu obturbante frui non possunt.

Superioris Exēpli *simillima sunt, quæ de Sanctis Bernardino & Vincentio tradita sunt, nobis alibi referenda. Nam* Malatesta, *quem sors dicere iubebat post* Philandrum, *homo Imperatorijs artibus excellens, nec fere alias euoluens historias, quàm militares iam dudum versabat animo illustre factum, quod nec ille legerat apud quemquam, nec illi narrauerat quisquam; sed illo præsente contigerat inter Principes Gonzagas. puto illo tempore, cum iram fugiens Pontificum* Malatesta, *nunc Florentiæ, nunc Mantuæ securum atque honestum transegit exilium. Ergo non aliam adhibens præfationem: tantummodo* Regem *reuerenter,* Sodales *amabiliter intuitus, hunc in modum exorditur.*

CAstellum est in Gallia Cisalpina opulentum & nobile, cui nomen Gotfredum, Castelgotfredum vulgò appellant populares. Huic Aloysius Gonzaga, Vir clarissimi nominis imperitabat, cùm duo fratres Cremonenses ob latrocinia ibi perpetrata in carcerem coniecti, & compedibus vincti tenebantur. Hi propter ingenij naturæque imbecillitatem, vt est hoc genus in primis vile, humile, imbelle; fors etiam stimulante facinorum conscientia, vix expeditis admotisque tormentis, furta, flagitia, & scelera omnia

sponte

ſponte confatentur innumera, capitalia. Propter quæ capitis damnati, laqueum miſeri de die in diem trepidantes expectabant. Ea res continuo Cremonam ad cognatos, & ad patruum ipſorum nomine Mitionem perſertur, ſane virum bonum, ac tunc ſenio grauem & valetudine per infirma. Qui quoniam fratre iam pridem defuncto, parùm diligens in curandis nepotibus fuerat, quos liberorum loco habere debebat: inde prima iunioribus occaſio luxuriandi, conuiuandi, ſcortandi, perdendi denique omnia, donec ipſi ſimul perirent. Ad quem nuncium ſerò tandem Mitio experrectus, & ſi minimum idoneus ad itinerum hoſpitiorumque incommoda perpetienda: tamen ne infame ſupplicium generi ſuo perpetuam ignominiæ notam inureret, multo auro argentoque ſecum exportato, Caſtelgotfredum recta contendit: ſi quando rerum ablatarum pretio dominis perſoluto, vitam nepotum redimere poſſet.

Illò igitur cum perueniſſet, omnem ſuum conatum eò direxit, atque in hanc curam totus incubuit, vt quacumque ratione ab laqueo nepotes, ab infamia ſuam gentem, domi honeſtam liberaret. Sed incaſſum conſilia & incepta omnia mouebantur: Gonzagà tam ſeuero & conſtante ad ſcelera punienda, quàm liberali atque munifico ad virtutem præmio afficiendam. Non propterea ſenior vir ani-

mum deſpondebat, aut minimum deſiſtebat incepto: ſed nunc ſupplicibus verbis nunc ſupplicibus libellis, nunc etiam lacrymis & plangoribus tam frequenter, tam inſtanter Principem obteſtabatur; vt ei venerit in mentem noctu cum paucis Oppido egredi, & Mantuam verſus contendere, ad eam moleſtiam quoquo modo euitandam. Sed in itinere cum Goitum veniſſet, quod agri Mantuani Oppidum eſt, vario circumfluens genere deliciarum, ibique Federicum Secundum Mantuæ Ducem eſſe cognouiſſet, nulla interpoſita mora ſeſe ad illum honoris atque officij gratia ſalutandum conuertit. Ab eoque non ſolùm liberaliter, ſed etiam valdè familiariter exceptus, vt ſemper ſolebat, inuitatus ac retentus eſt, ad dies aliquot ſecum honeſtis animi relaxationibus traducendos. Non latuit ſagaciſſimum ſenem occulta Principis diſceſſio, & illa vel diuerſatio, vel commoratio Goitana. Igitur poſtridie, quanquam feruidior diei æſtus, furente Canicula, quemuis ætate ac robore vigentem exterrere potuiſſet: non exterruit tamen infirmum Senem, cui puto animos vireſque hinc charitas ſuorum, inde metus infamiæ ſufficiebant. Sed huiuſmodi ſtimulis deſtitutus, & tantùm calcaribus vtrinque fortiter impulſus, non ſuffecit cupiditati vehens equus. qui totum diem fatigatus, ſudore ac puluere ſordens, in ipſis noui

Oppidi

Oppidi portis procumbens expirauit. Nec mora, nec requies. Ducalem ingressus aulam Cremonensis, obuio cuique suum narrans infortunium, ac subinde ostentans argentum, facilè scilicet inuenit à quo introduceretur, qui pro se deprecaretur, qui felicem rei exitum sponderet. Is erat inter aulicos proceres longè primus, cuius nomini parcitur: Sic autem inter se paciscuntur, atque hoc ordiendæ rei consilium instituunt: vt iste deprecator Federico Duci Cremonensis causam exponat, eumque inducere conetur ad agendum cum Aloysio gentili suo vt miseros fratres capite damnatos absoluere velit, eorumque supplicia sibi condonare. Senex interim Cremonensis ducentos aureos numeret deprecanti ante negotium inchoatum, & alios totidem cum auctario post absolutum spondet daturum.

Ergo Aulicus Ducem suum opportunè aggressus calamitatem Fratrum Cremonensium, miserabiliter proponit. nec eos quidem aut raptores, aut latrones appellat, à quibus nominibus Dominum suum abhorrere in maiorem modum sciebat; sed strenuos impigrosque bellatores, quibus idem natura & instituto singulariter fauebat. Illorum verò turpissima flagitia, quibus nec vna, nec simplex mors debebatur, summo artificio partim præterit, partim eleuat, modò in fortunam, modò in necessitatem conferens culpam.

Ex altera parte Iustitiam Principis Aloysij summopere commendans, haud illi quidem crudelitatis vel inclementiæ, sed tamen austeritatis ac seueritatis nimiæ tribuit nomen. Cum è contrario diceret Ducem ipsum propter misericordiā clementiamque Christiano Principe dignam ab omnibus in Cælum ferri. Quid multis moror? Hunc vulgò fidelem appellabant, puto per antiphrasim: nos aptius Fraudelem. Qui excellens fallaciarum Magister cum singula sibi profutura in medium adduxisset, præteritis quæcumque speciem nocendi haberent; in tantum prospera vsus fortuna est, vt Duci natura credulo, nimium amanti, nihil suspicanti facillimè omnia persuaserit. Ergo non multo post capta opportunitate, cum Dux à prandio in similes regendarum Vrbium, sermones incidisset, virtutemque clementiæ ante ceteras in Principe commendasset; huc denium euasit, vt fratres Cremonenses supplicio destinatos in suam gratiam iuberet absolui. Tunc Aloysius cum ibi deprehensum se animaduerteret, quò ad tuendam iustitiam & constantiam suam refugerat, quasi hanc esse Numinis voluntatem conijceret, prompto ac libenti animo respondit, se tum in ea re, tum in ceteris omnibus fore semper in ipsius Ducis potestate. Nec admodum moratus ipse sua manu salutares exarat litteras, iudici reddendas. Dux affuit scribendo, affuit

obsignando,

obſignando, acceptaſque tulit ad Fidelem ſuum; qui ad ſenem Cremonenſem rectà contendit. Nec ſe antea daturum ei litteras affirmat, quàm reliquos ducentos ſcutatos acceperit ex compacto. Id quod ſtatim Senex exequitur, pecunia etiam cum incremento numerata. Sed accidit perincommodè, quod Senex primùm natura valetudinarius, deinde paſſus aliquot apud hoſpitem incommoda, vt viris delicatioribus, & ætate confectis contingere ſolet, extra patrios penates degentibus; poſtremò etiam præſentis negotij deſperatione perculſus, quod tam diu dilatum iri non putabat; & valdè ſuſpicabatur, ne (quod aiunt) oleum & operam: has inquam propter cauſas Mitio infelix magnopere languens, iam triduum lectulo affixus decumbebat. Hoc autem accepto nuncio tunc cum minimè ſperabat amplius, de nepotum abſolutione adeò non eſt præſenti morbo releuatus, vt etiam grauius ægrotare cœperit, non coquente improuiſum & crudum gaudium natura, quam mœror & ægritudo ſatigauerat. Ergo cum iam diei eſſet extremum, & poſtridie manè ad ſupplicium ducendi Nepotes eſſent; quas litteras ipſe afferre debuiſſet, & præſens iudicibus in manum dare, nouis etiam obortis impedimentis, per alium mittere coactus eſt. Primùm ipſe ita languebat, vt tantum iter ingredi non poſſet; præſertim noctu, præſertim

pedes. porrò Dux Mantuam rediturus, omnes illinc equos & iumenta secum abduxerat. Senex autem (vt est antea dictum) in itinere accelerando, fortiùs vrgens amiserat suum. Misit igitur per hominem agrestem, quem illi hospes exhibuit sanè strenuum viatorem, & regionis benè gnarum. Nec ei quicquam de negotio, quod ageretur, aperuit: tantùm admonuit rogauitque, vt noctu itinere confecto, mane litteras ad Iudicem perferret, nec aliud diceret, quàm venire ab Oppidi Domino Gonzaga. Ille acceptis tanquam pro arrhabone aliquot nummulis, longè plures post reditum accepturus, dat se in viam nocte imminente: nec dum Cælo sidera excesserant, cum ille ad Oppidum præsto fuit, lassitudinis ac somni plenus. Ergo dum valuæ aperirentur, in propinquo super herbam horas circiter duas procumbens quieuit. Mane autem iam i lustri Oppidum ingressus, prætorium versus tendere iter cœperat, vt ad Iudicem datas litteras deferret; cum ecce tibi procurrentem vndique in forum, ac se sibi obuersantem, instantemque multitudinem aspicit. Qui quidem, vt studium est omnium hominum noua & insolita noscendi, curiosum pedem vltrà fert, habetque in conspectu iuuenes duos, qui manibus post tergum vinctis ad supplicium extra Vrbem ducebantur. Incidit homini cupiditas hoc fruendi spectaculo, prius

quàm

quàm in prætorium ad Iudices veniret, nihil cogitans interesse paulò post, an paulò ante litteras afferret. Quippe cui negotium, quod per eas agebatur, erat penitus ignotum. Ergo cum reliqua turba Oppidum egressus ex tumulo editiore raptos ad supplicium miseros cupide spectabat.

O contumacem, o miserabilem fortunam! qui missus erat ob reos absoluendos, is reorum supplicio frui laborat. Amborum vitam in sinu gestat; & silens prosequitur ad mortem euntes. cunctabundus interficit, ad quos liberandos noctu cōcurrerat: cum est opus celeritate, sedet ociosus: vbi non fuerat, ibi festinabat. Vnum Mitio infelix timebas, ne non tempori præsto esset ad Oppidum viator. tantùm vota faciebas, vt viuos offenderet nepotes, nec aliud quàm vt viuos. cetera expeditum iri charta spondebat. compos voti factus es: ecce rusticus in tempore strenuus præcucurrit: viuentes aspicit, comitatur, contemplatur. tu tamen miser esse non desines. tui ducuntur, & laqueo suffocantur, tabella salutis latente, tabellario spectante. Qui cum mox ad Iudicem accessisset, genu modicè curuato litteras porrigens, nec aliud quàm quod erat iussus adijciens, A Domino venire; silens exspectabat responsum. Iudex iniquissimo ferens animo, quòd per huius cunctationem stetisset, quo minus domino suo satisfaceret, reosque destinato supplicio liberaret;

raret; ad rusticum truci vultu conuersus: O, inquit, bipedum ignauissime viator, quid tam lente hoc tantulum iter emensus es, vt non statim exorto sole has litteras ad me perferres? tua cunctatione factum est homo impurissime, vt Principi dicto audiens esse amplius non possim. Horam vnam hic anteuerteret: fui tempori futurus infelix. Homo cetera stolidus, & inurbanus tantùm ambiens videri atque haberi strenuus ambulator; cum se ignauiæ, tarditatisque ab Iudice palàm culpari audiret, ægre ferens calumniam, Mi Domine, inquit, Ego nulli mortalium de ambulando concesserim. Magis celerem quàm ego sim, atque etiam hodie fuerim inuenies neminem. Heri vesperi hora noctis secunda statim litteris acceptis, vix ientaculo ante facto, in viam me dedi, & hic die nondum illustri, rarioribus adhuc stellis in Cœlo micantibus, præsto fui. Tantulum humi cubans obdormij dum fores aperirentur, & lux valentior abactis tenebris clarum redderet diem. Quamobrem autem, inquit Iudex, non tu statim recta in prætorium cum litteris? Ego vero, inquit Villicus, aliò vspiam profectus non sum: sed horsum venientem retardauit occurrens turba opificum, satellitum, barronumque deducētium duos captiuos à prætorio ad Oppidi portas, & extra illas ad suspendium. Hoc nunc ipsum spectaculo defunctus, ante omnes

ego

ego in forum, in prætorium, ad te cum litteris. Ad hæc ſubridens atrociter Iudex, Opportunè, inquit, & in ipſo temporis puncto ſceleſtiſſime. Tu illos miſeros cunctando necaſti. properares reddere litteras: viuerent adhuc infelices. At enim non eris impune. Lues mihi tuo ſanguine ſupplicia duorum. Eia ſtatores hunc rapite, mox in carcerem, cras tortum rapturi ad laqueum. Hic, Heu heu miſero mihi, agreſtis curſor clamabat. Quid illa epiſtola cum illis infortunatis? vel in quo chartula ſubſidio eſſe poterat morituris? Ex qua dolentis conqueſtione ſapiens Iudex facile intellexit, id quod res erat, non fuiſſe quicquam homini dictum, vel aliter cognitum de argumento litterarum. Ergo benignius ruſtico appellato, rem planiſſime compertam exploratamque illico ſcribit ad Gonzagam, adhuc Goiti cum Federico Duce commorantem, at non adeò ſtrenuum legit tabellarium, quin ei Dromo anteuerterit vnam atque alteram horam. puto timor animo impetum, pedibus alas duplicauerat. Fama interim vtroque velocior (an coniectura & ſpes quorundam?) inter aulicos vulgauerat, Cremonenſes reos morte liberatos, carcere ſtatim emiſſos, tantùm facili exilio multatos. Venit ergo feſtinus ad Mitionem hoſpitali adhuc lectulo decumbentem Aulicus Fidelis, primò (vt aiebat) gratulatum de ſalute ac libertate Nepotum: deinde au-

ctarium illud repetitum, quod se daturum Mitio spoponderat vltrà quadringentos. Verùm enimuero Senior, nec accipere gratulationem, nec dare aliam pecuniam ante nuncium de re certum, & reditum Dromonis: potius frequenter ingemiscere, conqueri aliquando, & lamentari fortunam suam. Suapte sponte lacrymas oriri non nunquam & altius trahi suspiria mirere, quasi præsaga mali mens talia obitæ calamitatis indicia intus ploraret.

Instabat nihilominus Fidelis, & iam à precibus ad minas veniebatur; cum ecce improuisus in cubiculum Dromo. Cuius interuentu Aulicus lætari, & fortunæ agere gratias, certus iam præmij auferendi. contrà Mitio inter spem metumque. propensior tamen in malum, nec rogare cunctantem rusticum audebat, & moræ impatiens audire voluisset. Vix hæc tandem tremebundus, Quid mei Nepotes? Viuunt ne? Tum Dromo, Quid tu, inquit, mandasti mihi de tuis? Ego tantùm litteras ferre ac Iudici reddere iussus sum. tuli, reddidi. Sta promissis, & pretium persolue. At enim, subiunxit Aulicus, non audisti quicquam de captiuis per Epistolam suspendio liberatis? Quid ego istæc curauerim, inquit Dromo, transiens vidi iuuenes duos ad laqueum rapi, & spectaui moribundos, alter nigris, alter subrufis erat capillis: cetera gemelli Fratres videbantur. Verum hæc mea nihil intersunt. Expedito

mihi

mihi pecuniam ex compactò. mox huc reuertar pastus & potus. Hæc Dromo, qui statim recta in culinam.

Non fefellit miserum Senem facies atque habitus suorum, scientem maximè in illum diem fuisse morti destinatos. hoc vehementer mirari, quod Epistola (vt rebatur) in tempore reddita nihil profuisset. Itaque animo consternatus post longam & miserabilem querelam, nunc Nepotum crudele fatum, nunc inustam familiæ notam, nũc tot exhaustos & labores & nummos incassum detestatus clamare cœpit sese ab Aulico fuisse deceptum. à quo infelix non Nepotum liberationem, sed pœnæ accelerationem mercatus esset aureis quadringentis. Ac senior quidem serò pœnitens, quod fratris filios non ab ipso ætatis primordio instituendos, bonisque artibus informandos curasset, implorata tum negligentiæ ac socordiæ suæ, tum ceterorum venia peccatorum, augescente morbo pauculis post diebus extinguitur. At enim rumor ille de quadringentis bono Seni per fraudé extortis cum iam magis magisque percrebesceret; inuidorum ac maleuolorum relatu, quibus Aulæ Principum abundant, res tota quemadmodum gesta esset, ad Serenissimi Ducis aures peruenit. Nec mora: truditur in carcerem Lucricupidus Fidelis, & fraudem omnem confessus, pecuniam regerere cogitur. ille insuper quadruplò multatus cum expro-

bratione atque dedecore in exilium exploditur. Consenuit miser in Picenis ad tantam rerum ægestatem redactus, vt precario victum emendicarit, funeri sumptus defuerit. Agnouere Optimi Principes iudicium, & prouidentiam Diuinam, Cæloque actis gratijs, non semel postea Dromonem facti seriem ordinemque narrantem simul cum admiratione, simul cum risu auscultarunt.

DECADIS PRIMÆ

Exemplũ Decimum

Argumentum.

Pandulphus Nereus cum amica defuncta viuens sepelitur, & iam certus moriendi, voto nuncupato, per admirabilem modum sospes educitur, auro insuper & gemmis locuples factus.

Æquè supplicium Cremonensium & Infidelis Aulici multam Sodales *laudabant: cum ad* Malatestam *conuersus* Ergastus, *Euge, inquit, fortissime iuuenum* Malatesta, *qui non minus eloquentia quàm robore animi atque corporis prastans, Augusta patria simul optimum ciuem, simul egregium Ducem repræsentas! quàm vellem cum cane Tertio semel esses congressus, &*

ipse

ipse tuam causam, tuorumque perorasses: non est mihi dubium, quin homini Sapienti fuisses probaturus, quod alij non probarunt minus eloquentes, minus audentes. Ad quæ honoris atque amoris magnifica verba cum humaniter agens gratias respondisset Malatesta: *continuò iussus obire vicem suam, & nocturno illius diei colloquio finem imponere* Coppetta: *Quandoquidem, inquit, multum adhuc superest temporis ex nostra consuetudine ante tuum discessus; me non pigebit historiam referre longiusculam, sed identidem (nisi fallor) iucundam, & tam inceptu, quam exitu mirandam.*

FVit Arimini senex inter primos nobilitate, gratia, opibus valens. Metrodoro Acursio erat nomen. hic filiam vnicam habuit Margaridem. quam cum eximie diligeret, ideoque non ire nuptum in alienam domum, sed nubere in sua, & generum vnà secum viuere mallet: Pandulpho Nereo rebus omnibus ornatissimo iuueni virginem in vxorem petenti, secumque abducere cupienti, senex nimium indulgens, & sui nimium amans, præcise negauit. contrà Tito Sempronio mediocris fortunæ viro, & iam in senium vergenti propterea facile concessit, quoniam ad se domum cum omni domestica supellectili promisit se migraturum, atque vnà perpetuo futurum. Stulta & improuida deliberatio, vt post paulum infelix docuit euentus: dico dumtaxat in eam partem, quod

filiæ

filiæ nondum vicenariæ virum quinquagenarium eoque seniorem, hoc est non socium maritum, sed alterum patrem, imò auum superinducere videbatur. Ex qua quidem disparitate memorat Historia, & ipsi non semel vidimus, quanta perturbatio, quantum dedecus ad filias ipsas, & ad ipsarum parentes, & ad omnem familiam crebrò redundet. Fraudatus vbere alimento gliscens appetitus, quod copia domestica malignè suppeditat, id conquirere aliunde, ac sibi benigniùs facere laborat. Nudis igitur verborum delicijs non tam saturari, quàm irritari solita puella, non diu post fato functum Parentem, cuius sagacitati minus facilè potuisset imponere (nam Coniux erat natura simplicior, & ea re negligentior) per vetulam rufinam sollicitare cœpit amantē sui Pandulphum, qui se olim in matrimonium petierat, eratque adhuc tristior propter repulsam. Sed tamen iuuenis liberali præditus ingenio, vt Margaridem prius quàm alteri nuberet ardenter amabat, officiosè salutabat, frequenter deducebat reducebatque vti tunc moris erat Ariminensibus: ita post quàm in Viri manum conuenerat, nec iam sui erat amplius iuris, nunquam nisi prudenter ac reuerenter aspexit: quoties inquam fortè obuiam habuit. Nam neque affectari per Vrbem, nec frequens esse in Vicinia, nec se astu in conspectum dare consueuerat, aliò scilicet mente &

cogi-

cogitatione intentus. Poſtea verò quàm à Margaride nuncij, litteræ, munera venerunt, quæ iam refrixiſſe videbatur amoris flamma, ſubitò iterum exarſit, & poſt non longam contentionem, pudore poſt tergum reiecto, ad fruēdam quoquo modo facultatem ſponte oblatam, omnes ingenij neruos intendit. nec id quidem vllius aut laboris, aut periculi fuit. Per ſolertem fidamque ambobus ancillam, quoties Sempronius aberat, ſæpiùs noctu, aliquando & interdiu ſecuris animis vnà eſſe conſueuerant. Iam biennium exierat, cum mulier amore Pandulphi ſic incaluerat, vt tam diu frui anima dum præſens ille foret ſibi videretur. illo autem abſente, tanquam ſi mens ab illa quoque fieret abſens, extra ſe poſita, ſtupens, nihil prope agnoſcens, aut intelligens torpebat. Contra ex altera parte Pandulphus conſcientiæ ſtimulis frequenter agitatus, reſipiſcere cœperat, & de die in diem lentum reditum ad caſtitatem, atque ad meliorem frugem differebat. Stimulos homini ad pœnitentiam quotidie acriores crebrioreſque aliud ex alio incidens admouebat. vſque adeò donec ad Margaridem infrequentius itare, ſæpè accerſitus non accedere, cum accedebat cauſas nectere celerius abeundi, breuiùs manendi. tandem iterùm atque iterū de peccato relinquēdo, de venia poſcenda, de vita in melius mutanda mentionem mulieri fecit. quæ

quidem

quidem velut iaculo transfixa, vel fulmine percussa diù verbum effari non potuit. Sed interim mutis vocibus, & loquacibus lacrymis orabat, vt si se saluam vellet, ne saltem in illum annum desereret, haud dubiè morituram. Vt quantùm in altero remitti, tantùm in altera intendi fœdus amor videretur.

Cum res ita sese haberent, vt nec femina finem amandi atque insaniendi f ceret, nec iuuenis constanter propositum vrgeret flagitij detestandi, & ad meliorem frugem redeundi: fortè accidit, vt Margaridem facto abortu grauissimus inuaderet morbus. quo cum alterum iam mensem laboraret, nec ad eam Nereus vnquam veniret, tantùm aliquando per solemnem internunciam, aut scriptas litteras salutaret: ad morbum ex mulieris inconstantia grauiorem factum proximè accessit insolitum, & nunquam ante hac auditum zelotypiæ genus. Misera cum se haud ita post morituram pro certo existimaret: ita febrim inualescere, ac sensim vires deficere sentiebat, in hanc incidit molestissimam, eamque perpetuam cogitationem, cui se totam rebus omnibus posthabitis, furens permisit. Apud animum ipsa sibi repræsentabat, id quod post suam mortem accidere necesse erat, & illa etiam atque etiam ne accideret timebat, Pandulphum suum, quia iuuenis, quia locuples, quia elegans esset, alteri puellæ amandum, colendum,

fouendum,

fouendum,fruendum fore. Nimirum præuidens amores suos aliò esse trãsferendos, & alteri donandos, miserum in modum dies noctesque discruciabatur, nec vllum momentum ab ea cogitatione liber animus laxabat afflictam. hæc semper species in oculis erat, hanc semper animo voluebat, linguã murmurabat, mens somniabat; hæc denique non minus quàm febris angebat totamque occupabat Margarida. Vt iam tunc odisse videretur, & perẽptam cuperet eam puellam, quæ tamen qualis, aut cuias esset nesciebat, sibi successuram, suo potituram. O vtinam, inquit, simul moreremur, simul sepeliremur, Pandulphe. aliud meo malo remedium aut nullum, aut serum est. Sub hæc verba nescio quid secum aliud murmurans, euocatam ad se ancillam iubet continuo ad Pandulphum: Refer, inquit, de morbo incrudescente, cui resistere amplius non queo. Proinde hac noctu stata hora me conueniat, postremùm visurus. Ad quem nuncium, ad quæ verba iam mitior solito Pandulphus, & in pristinos amoris laqueos relapsus circiter secundam vigiliam præsto fuit. Femina interim mentita iam sibi meliusculè esse factum: reliquæ mulieres in illam noctem discederent, ac sese cubitum referrent: sola sibi esse opus ancilla cubicularia. Si quid interim secus quàm sperabat accidisset, extemplò reuocaturam. Ita discessum ab reliquis fuerat, cum ecce

instar

inſtar omnium & plus quàm omnes vnus futurus, præſens adeſt Pandulphus. Ancilla hominem, quà conſueuerat introdu-ctum ad Dominam, in cubiculo, antè le-ctum ſtatuit ſedentem.

Quid ego hic amantium ſalutationes, complexus, lacrymas, colloquia rememorem? Æſtimatu facillima & breuiſſima ſunt, quæ mihi longa, impedita, ſors etiam minus grata Lectoribus forent, rei exitum expectantibus. Ergo tantùm neceſſaria perſequar. Vbi tandem ſuſpirijs, & ſolemnibus verborum officijs finem fecere, prior Margaris ad Pandulphum: MIHI vero, inquit, non aliam ob cauſam moleſta mors eſt, quàm quòd has animas alteram ab altera ſeparat. facit enim eximia beneuolentia, vel potius pietas erga te mea, vt tecum cupiam eſſe in perpetuum, & me à me ipſa diuelli ſentiam, quoties cogito abeundum mihi ſinè te, remanendum tibi ſinè me. Nunc cognoſcere velim, & ex te audire anime mi, an ſis tu etiam erga nos eodem modo affectus, vt vitam tibi non optabilem cenſeas, me defuncta. Tun' obſecro, reſpondit Pandulphus, mea ſpes, meũ ſuauium iſta reuocas in dubium, quæ tot antè annos habes, atque habere debes exploratiſſima? Ego meum caput in omne mortis diſcrimen millies exponerem, vt minimum quidque voluptatis, & commodi tui redimerem, cogita ſi ſum paratus, pro vita tua vitam

meam, imò verius pro mea meam. Ad hæc continuò Margaris interpellans, Pandulphe, Pandulphe, inquit, si mentitus non es, mihique in omnibus gratum facere sic exoptas: accipe primùm ægritudinem animi mei, non solùm hoc morbo, sed etiam hac morte grauiorem. deinde, quam solus potes, quam amor suadebit, adhibe medicinam. Me (vt vides) moribundam supra omnem modum discruciat hæc siue inuidia, siue zelotypia, quòd iam videam, me fato functa, te cuiuspiam alterius feminæ futurum aut amantem, aut maritum. Da hoc mihi, ne habeam formidare: plus dederis, quàm si vitam. Sed primùm quis hoc mihi pro te spondeat? Deinde fac aliquem spondere. quis meum ius persequetur, siue tu sponsori, siue sponsor mihi fidem fefellerit? Nam quòd facias te fortem virum, nec vadibus egentem, vllis ad vitam cœlibem degendam, continentiamque retinendam: fabulæ. Si hanc mihi suspicionem ex animo auulsam voles, illa semel est subeunda, quam te millies subiturum es pollicitus ego si iubeam. Sed non iubeo: precor potius & supplico, in summi beneficij loco habitura, qui tot annos vna viximus, si nunc vna moriamur, & idem condamur in sepulchrum. Sic mors tua non vitam mihi: quam nec facerem tanti: sed aliud in præsens longè carius, longè optatius donabit.

Quæ nondum extrema verba mulier protu-

protulerat, cũ ecce vox auditur ab ædium parte inferiore, seruos inclamantis, lumen poscentis. Vir Sempronius, ex quo vxor inciderat in morbum, aliud sibi cubiculum optauerat prope ianuam, in porticum respondens. Inde quamquam ad curationem optimos medicorum adhibuerat, nec vlli aut incommodo, aut sumptui parcebatur, ad Dominæ valetudinem omni ope subleuandam; tamen pietate atque amore impulsus interdiù crebrò, de nocte aliquãdo ad vxorem ventitabat, prope assidens, vnà ministrans, verbis animans atque consolans. Tunc ea scilicet gratia surrexerat, & iam famulo lumen præferente scalas ascendebat. Ancilla, vt Pandulpho spatium atque commoditas abeundi daretur, ostiolo, quà hominem intrò acceperat, semiaperto relicto, nihil admonens, neque cogitans aliud, Hero venienti obuiam prodit, remoratura (si opus foret) dum Amãtes Vale dicto sibi prospicerent. Voluit Pandulphus eadem, qua venerat via reuerti. Sed Margaris mentita illac exitum non patere: ostiolum ab ancilla clausum relictum: suasit amanti & persuasit, vt solemni perfugio vsus in arcam ea gratia paratam se reconderet, ac tantisper moraretur, donec ipsa Virum ablegaret, commodùm de sua valetudine tria verba, non aliud, nec pluribus locuta. In eam arcam mulier carissima quæque absconderat, non mole illa quidem, sed pretio

miranda, gemmas, aurum, purpuram. Inter hæc lectulus erat constratus, humani corporis capax, non sanè angustus, nec incommodus nimis: Rimulæ præterea hinc atque hinc angustissimæ patebant, animæ spiramenta, & via oculis secura recreandis. Ad hæc operculum sic erat vncinatum, vt continuò adductum, correpta sera, tenaciter hæreret sua sponte. Commodùm clausus latebat & quiescebat Pandulphus promissum Margaridis expectans, vt Virum mox admissum pauculis affata dimitteret, secumque inchoatum repeteret sermonem, quo maiorem in modum recreari, & affici videbatur: cum ecce in cubiculum Sempronius: antea certior factus ab Ancilla quieuisse pauló liberaliùs ad illam noctis horam Margarida. Quamobrem solito hilarior manum coniugis amplexus cœpit eã simul amanter, simul officiosè consolari. Ancilla interim pro certo existimans exisse Pandulphum, cautè ostio reducto, & intra pessulato in cubiculum ad Dominam reuertitur, si quam ad rem in præsens opera sua vti vellet. Domina nihil imperare nominatim: iubere tantummodo generatim curare rem familiarem: Se cum viro remotis arbitris diutulè futuram. Igitur ostio clauso, maritum lectulo assidentem hunc in modum alloqui cœpit.

Non est dubium, mi Vir, tametsi desperare Medici vetant, meam vitam, in

extremum

extremum esse adductam discrimen. Sentio ego paulatim deficere vires, & hanc sese animam ad discessum comparare. Iam mihi breues non dies dicam, sed horæ ad viuendum supersunt. Igitur quæ ad expiandam animam pertinent ritè antea procuratis; nunc reliquum habeo rogare te pro ea beneuolentia & charitate, quæ semper maxima, semper mutua inter nos fuit, beneficium non sanè arduum, neque sumptuosum, sed tamen mihi vehementer optatum non neges morituræ. Atque hic tanquam spiritu interclusо loqui amplius non posset, subito tacentem, Maritus primo exhortari, vt illam abijceret inanem opinionẽ mortis appropinquantis: deinde polliceri, ac iure iurando interposito confirmare, omnia se quæcumque illa peteret, quæcumque ille posset, facturum sine mora. Tum mulier resumpto sermone; Vides, inquit, illam arcam, ponè lectum in cubiculi angulo latẽtem? Crepundia mea complectitur, quæ iam inde ab infante mihi complacita semper adamaui, habuique in pretiosissimis: tametsi vix arbitror quindecim, aut viginti florenorum sunt. Hæc nimirum post hac neque manibus contrectanda, neque oculis aspicienda cuiusquam, vt nunc condita in arcam à me clausam fuere, sic cupio mecum in funus exportari, & eandem mecum in sepulturam recondi. Confirmare hic iterùm iterũque Sempronius, & fidem

& fidem coniugi dare quicquid ea rogasset, quemadmodum rogasset, factum iri omnino. capsam nulli aperiendam, in funus producendam, vnà sepeliendam. Ac se tamen meliora sperare, si sollicitudinem illam deponeret, si solitam hilaritatem resumeret, si Medicis dicto audiens foret. Illa voti compos, vt iam sibi videbatur, effecta, nihil suspicans amplius futurum, vt suo Pandulpho aliæ feminę post se mortuam fruerentur: adeò recreata est, adeò in vultum color, vigor, hilaritas rediјt, vt maritus gaudio exiliens clamauerit, coniugem diuina benignitate à morbo capitali ad certissimam vitæ spem esse reuocatam. Sed illa paulò post quacumque id ex causa prouenerit (nam aliā alij commenti sunt) sensim relanguens, ferè sinè sensu animam expirauit.

At enim quid credimus animi fuisse Pandulpho, qui hæc à principio singula suis auribus perceperat? Ille verò quid ageret, aut quid consilij caperet, prorsus ignorare. Taceret? Viuum se sepultum iri videbat: nullam opem, nullam spem sibi esse relictam. Clamaret? Ab hoc verò abhorrebat magis ob duplicem causam, primùm illum contrariæ factionis hostem ob veteres inimicitias & recentem contumeliam Titus Sempronius, & propinqui omnes impunè trucidarent. deinde tanto sub pudore capitalis iniuriæ non oppressa, nondum extincta charitate in amicam

suam

ſuam timebat infelix honeſtæ mulieri hâc inurere tam fœdam adulterij notam. Hæc multùm diuque cogitanti, nec dum ſatis expedienti vtrum eſſet miſerum minus, cum vtrumque appareret miſerrimum: forte in mentem redijt, quod præpotenti Deo cælitus inſpiranti, & ad ſe reuocanti ſæpius promiſerat, nunquam præſtiterat incogitans, perfidus, ingratus. Igitur ex animo pœnitens incepti, atque hoc crebrò repetens, huiuſmodi calamitatem meritò ſibi accidere: primùm qui alienam compreſſerat, quam tangere fas non erat: deinde quia à clementiſſimo Domino veniam ſponte oblatam ex die in diem differens contempſiſſet: prope in vltimam lapſus deſperationem, ita ſecum tacitus querebatur. O me omnium quos vſpiam terra ſuſtinet infeliciſſimum? rogatus vltrò, & ſollicitatus à pulcherrima femina, id tandem admiſi flagitium, quod ne admoniti quidem alij petunt prece, pretio, vi extorquentes. Nec illam hoc nomine accuſo, ſi nupta inualido ſeni, iuuenem ſibi adoptauit, ætate integra; genere parem, nulla in re marito ſecundum. Pater ipſius, & nonnullam maritus fœdi criminis culpam ſuſtinent. Vtrique tam diſpar coniugium erat fugiendum: alter non ſponderet, alter non duceret ſenex puellam. Ac tu quidem mea Margari iaces quàm leni & facili, tam etiam felici & optata morte conſumpta. Me forſitan venia digniorem,

certè

certè non turpioris, quàm tu esses flagitij reum prò quàm crudele ac miserabile fatum expectat! In florenti ætate, in militari robore morior segnis & inglorius: non quemadmodum me deceb:t, fortiter dimicans, ab hoste circumuentus. Et moriar miser non in acie aut campo: sed intra huius carceris angustias, fame tormento omnium maximo necandus. A quo autem necandus? Non à spoliario, non à latrone, non saltem ab inimico. minùs grauarer, si me clades opprimeret visitata, & saltem fando audita. Sed meus est, vt in dolore acerbior, sic in doloris causa crudelior interitus. Dilecta mihi ante hoc tempus, & sub hoc tempore magis dilecta, ipsa pariter diligens, Amica me propter nimium amorem iubet interire. vt quando illa mecum viuere amplius non poterat, ego secum morerer, secum essem in perpetuum. Ergo viuens, & latens, & tacens rapiar miser ad sepulchrum, secutus mortuam amicam meam, interfectricem meam, feretro impositam viatricem, sicut in curru de me captiuo, de me mortuo triumphantem. Atque vt omni spoliatum solatio supplicium luam, ne conqueri quidem apertiùs licet calamitatem meam. Si forte vox, aut gemitus, aut screatus mihi exciderit inter ferendum: maius adhuc & atrocius imminet periculum morituro. ignes, gladij, secures in expedito sunt. anteueniet crudelitas lentam naturam.

& maculabitur per meum ſanguinem vnà moriens honeſtas duorum. Vt præoptandum nobis videatur, has vrgeri exequias viuentis: & quod adhuc mortuum non eſt, ſepeliri celeriùs, ne plus quàm ſemel mori cogatur. Hinc meam infelicitatem agnoſcere licet expreſſiùs. beneficium eſt, ſi viuens ſepelior: maius beneficium, ſi quamprimum.

Hæc aliaque conſimilia non tacuit, ſecum murmurans Pandulphus, ac non multum quidem faciebat ille verborum, ſed multum inter ea fundebat lacrymarum: impunè iſtis, ac fors non impunè illis exitum videns futurum. Ergo dolebat, quàm ſuſpirabat intentiùs: & erat fletus, quàm queſtus liberalior: cũ propinquum mortis terrorem alius terror longè immanior, longè horribilior excepit. Recordatus eſt, quæ aliquando legerat dicentem monentemque Saluatorem, *Eos videlicet non nimiùm timendos, qui corpus occidere poſſent: ſed eum ex toto animo formidandum, eique cum tremore ſupplicandum, qui occiſo corpore, poteſtatem haberet damnandi animam cruciatibus æternis*. Igitur ægritudinem luctumque omnem à corpore ad animam cõuertens, & ſi multa, eaque turpia facinora feciſſe ſe fatebatur: in quibus hoc mentem acriùs mordebat, quòd Spiritui ſancto reſtiterat, & clementiſſimo Domino morem non geſſerat ad ſe vocanti, & veniam pollicenti; tamen ſubinde hoc etiam menti ſuc-

currebat

currebat Oraculum, quod Deus responderat, & dubium esse non poterat. *Quoties peccator ingemisceret, sese omnes illius iniurias perpetua obliuione deleturum*. Quamobrem iuuenis Euangelici primum luxuriantis, deinde ad frugem redeūtis secutus exemplum: Non peto, inquit, clementissime ac liberalissime IESV iam vt me à destinato & parato supplicio liberes. Nimium multa, & grauia facinora mea sunt, quibus prouocaui aduersum me iram cælestem. Eat verò, & quam merita est pœnam contumax atque rebellās caro patiatur. Vnum oro circa illam: si fuit meo vitio fragilis ad peccandum, da esse ad sustinendum beneficio tuo fortem atque constantem. Anima, Domine, Anima opus manuum tuarum, & ad similitudinem tui factum, ad te redeat, Creatorē atque liberatorem suum. Peccaui Pater multò grauissime, nominatim aduersus interdictum tuum, thalamo insidians & incubans alieno. Sed est tamen scelere meo, & scelere omnium infinitis partibus maior, amplior, excelsior misericordia tua. Superat longo interuallo (non inficior) crimen perpetratum mens perfida, mens ingrata. Sed hanc etiam facillimè obruit immensus tuarum Oceanus miserationum. Neque hanc ipsam si mihi condonaueris o hominum, o cælitum Imperator, quicquam ideo dissimile vel à natura, vel à consuetudine tua facies. Proprium tibi atque perpetuum esse mise-

reri ac parcere. tu mandasti, vt frequenter orantes cantaremus, iucundam tuis auribus, quanquam millies repetitam cantilenam. Memini præterea quàm multi per ingratitudinem à te desciuerunt, quibus est pœnitentibus abs te pariter ignotum. Sed vnus mihi semper animos fecit, & nunc plusculum iubet sperare à diuina misericordia. illum dico eundem Regem, eundem Prophetam inter Hebræos. Cuius si factum cum meo comparo (da huic etiam libertati veniam Pater) longe grauiùs ab illo quàm à me suspicor esse peccatum, & illius fuisse ingratitudinem minùs ignoscendam. Porro ille puer pecuarius, & rusticanus ab agro in Regiam, à panno ad purpuram, ab aratro ad sceptrum peculiari dignatione fuerat translatus. Ego à priuatis, sed honestis oriundus eandem retinui beneficio tuo, & fortunam, & rem. Ille in virili Æuo, cinctus vndique pellicum & vxorum blanditijs, potuit tamen concupiscere alienam. Ego cœlibem exigens iuuentam impudicam (vt scis Domine) hoc nunc primùm, nec alio vnquam incontinentiæ cœno maculaui. Ad hæc sua sponte tantus Rex amicissimi hominis pro suo capite dimicantis pudicum intrauit cubile. tum verò etiam (res infanda) flagitium flagitio cumulat, & adulteram rapit in vxorem, mariti sanguine dotatam. Ego confiteor Domine quicquid sceleris non admiserim à tua esse

mise-

misericordia, quicquid admiserim à perfidia & malitia mea. Sed vides tamen quantò intra Regiam turpitudinem stet error meus. Ego istam in matrimonium poposci. negata est, & alteri data. nunquam deinceps curiosis, tantùm abest, vt impuris aspexerim oculis. Quinquennium & eo ampliùs mihi sic exactum. Propositi mei tenax non mutabam: nec spero quicquam vnquam mouissem, ista si quiesset. Verùm enimuerò nunc per blandam internunciam, nunc per flexanimas litteras, nunc per inescantia munuscula insidias tendens, hoc tandem cor intercepit, ac suum fecit. Nec est clam te, ò Scrutator, atque inspector cordium Deus, quàm sæpe cogitauerim de muliere relinquenda, & me vindicando in libertatem: tantum semper abfuit, vt Viro illius insidiarer, infandas nuptias moliturus. Nec ego istæc tamen, benignissime Pater, volo quicquam mihi valere ad peccati excusationem: turpiora etiam & magis nefaria facturus nisi libidinem meam tua miseratio, tua charitas temperasset. hoc tantùm in eam partem disserui Pater, vt me mihi propter mea scelera diffidentem hoc pacto ad spem concipiendam, & ad veniam poscendam excitarem comparando.

Quæ quidem aliaque non pauca secum animo voluens & crebris ea singultibus interpellans; corpori celerem, nec nimis acerbam mortem, animæ tranquillam

atque perpetuam vitam enixè precabatur. Nec ita multò post in tantam Diuinæ clementię fiduciam adductus sibi videbatur; vt in beneficij loco habendum putaret, quòd à femina digrediens, non extra ianuam se subitò eiecerat, sed huic ligneo carceri se crediderat, præoptans nocituræ libertati captiuitatem non dubiè profuturam. In qua cogitatione affixum tantus illum repentè sopor inuasit, vt à crepusculo matutino (iam enim dies albescebat) in post meridiem vsque dormierit continenter. Tota vndique nō solùm Titi Sempronij domus, sed etiam latè vicinia planctibus & lamentis personabant. Ille tamen non anteà fuit experrectus, quàm duo gangabæ portandam in funere arcam inuicem tollentes, pondus explorabant; felix somnus, infelix vigilia Pandulphe; quippe inter funeris apparatum, quod Sempronius pro sua nobilitate magnificum, ac splendidum fieri studebat; propinqui omnes instare homini cœperunt, vt arcam antea iuberet aperiri, quàm in publicum prodiret. non videri vllo modo sic ferendam, improspectam, inexploratam. Quæ cum Pandulphus consilia exaudiret, ab altera in alteram formidinem relapsus ex-animo Cœlites obsecrabat, nè quid atrocius de salute, vel turpius de honestate sua pariter & mulieris consultum vellent. Optimè factum, valdèque opportunè quod tenax propositi Sempronius

fidem coniugi datam adeo non fefellit, vt arcam ipsam (insciens profuturus) curauerit molliùs ac sine vlla vexatione gestari. Funere demum peracto, quod reliquum diem plane totum occupauit, in templo Fratrum Dominicanorum, cui ab S. Cataldo inditum erat nomen: in sepulturam ampliter capacem, in quam per gradus descendebatur, primò arca ponderosior, dein mulieris cadauer condita sunt. Lapis deinde ad ostium sepulturæ simpliciter admotus: firmari tenaciter calce, ac ruderibus insertis, nox prohibuit. ea cura per vespillones in crastinum dilata.

Iam Pandulphus ægrè admodum se habere. longior decubitus, loci humiditas, aer crassior, fœditas odoris; ad hæc ingruens corporis instaurandi necessitas, sitis ante omnia vehementer angebant. Quibus ille singulis fortiter atque constanter resistens intentiùs Deum, & Matrem Virginem, & Ecclesiæ Præsidem rogabat pro animæ salute, peccata plangens, misericordiam clamans, & Cœlo gratias agens. Inter hæc ancilla Semproniana, quæ amātium erat conscia, non erat alterius sepulti viuentis cum altera defuncta: sciens in arcam cum Hera sua pretiosissimum quidque conditum seruari consuesse, cum Tiburtio Sempronij nepote rem communicat mercedem indicij pacta decimam partem prædæ faciundæ. Homo adolescens nihil cogitans aliud ab eadem clauiculis

culis acceptis,& arcanam aperiendi rationem perdoctus, extemplo rem aggredi constituit: puto veritus ne quis forsitan id ipsum aut nesciens, aut diuinans cunctanti anteuerteret. Ergo strenuos fidosque sibi comites nactus, eadem nocte sub secundam vigiliam aditu ceteris incognito, primùm in cortem pullariam, inde in porticum, inde in Ecclesiam facile transcendit. Hinc recta ad sepulchrum. cuius lapide non difficulter euoluto, per scalas in tumulum duo descendunt, foris tertio ad custodiam relicto. Sensit Pandulphus introeuntes, & de causa statim rectè coniecit: miratus quòd sibi antea in mentem non venerit, spei fouendæ. Igitur meliora, quàm putarat, sperare incipiens, tota mente ad Cœlum conuersus, O, inquit, liberalissime idemque amabilissime Pater, solemne obsecro retine s tuum, & beneficium beneficio cumula. Si das hinc euadere sospitem & honestum, quicquid vitæ reliquum est in præsens tibi deuoueo: degendum (si me admittunt) hic inter Fratres Dominicanos: si non admittunt in perpetuo tamen & casto cœlibatu. Quibus verbis leuissimè murmuratis, cetera quietus, mutus, vix respirans expectabat, dum furunculi seras & pessulos, aut silentes remouerent molliter impulsos, aut ferro frangerent stridentes, resistentes. Ecce autem nullo negocio Tiburtius resolutum operculũ manu sustollens, intrò inferebat

laternam

laternam: cum Pandulphus horribilem mugiens fremitum subito exurgit, formidandus, minabundus. Quo tam insperato casu perculsi & attoniti adolescentes, cum ingenti trepidatione, clauis etiam armisque relictis, sese foras eijcere festinant: clamantes in illo sepulchro, in illa capsa Diabolum ab se repertum luridis alis, cornuta fronte, igneis oculis, rictu horrendo & patulo stridentem. Nec mora: egressi Monasterio qua intrarant, vbi postera dies illuxit, Ancillam ex compacto partem prædæ poscentem, continuo pugnis, calcibus, fuste ad necem vsque multarunt, mendacem, perfidam, veneficam vocantes. Ex qua pulsatione post triduum misera extinguitur: cum interea spiritu intercluso, nè vnum quidem verbum effari potuerit, neque indicare aut Iudici percussores, aut Confessario suas culpas.

At Pandulphus per eum modum furibus abactis, fugatisque seruatoribus suis, sepulchro egrediens primùm omnium ante Aram maximam in genua procumbit, Cælo gratias referens, & quod vouerat votum confirmans de Religione, de continentia. Post hæc facem accēsam manu præferens, denuò ingreditur sepulchrum, & ex arca quicquid erat pretiosissimum aufert, omne in Christi pauperes, & pia opera distributurus, vt postea statim executus est. Venit deinde ad pulcherrimā defunctam, eamque diu contemplatus, fragilitatem

intuens mortalium, se quàm cum maximè incendi sensit ad salutem animæ procurandam, humanasque omnes delicias, pro nihilo putandas. Postremò illinc abiturus, non dum planè affectibus liber, Mea Margari, dixit, quale facinus, vel potius prodigium tibi venerat in mentem, quia me nimium amares, velle tecum vt morerer! Hæc intimi & vltimi odij signa sunt, non amoris. Addita odio crudelitas. quia enim non moriebar, nec me poteras ipsa interficere; curasti tecum, vt viuens sepelirer, paulò post haud dubiè moriturus. Raros puto inuenias barbaros, qui faciant hosti ex nimio odio, quod tu facere amãti conata es propter amorem. Sciri operæpretium est quo nam modo inimicum, quæ sic amicos. At enim quia non impietas te ad facinus impellebat: minimè minime gentium: sed amoris filia formido, ne me scilicet altera potiretur, te fato functa: gaude dupliciter, quod & ego incolumis sum, & tu nihilominus id consequère, quod optasti. Adspiret voto Clementissimus Deus. Tu felix esto in perpetuum. His dictis capsa iterum clausa, monumento egressus, lapide reposito, Monasterij gnarus ex claustro in hortum, inde domum recta contendit: non ausus in publicum prodire aliquot dies. Adeò nondum vitæ ad plenum redditus sibi videbatur, sed adhuc semimortuus, adhuc semisepultus. Ad extremum rebus suis prudenter

dispositis,

dispositis, & à parentibus venia impetrata in familiam Dominicanam, tunc eximiè florentem nomen dedit; vixitque ad vltimam senectam virtutis & sapientiæ ceteris exemplar.


Complacita est in maiorem modum Regi *atque* Sodalibus *historia Pandolfina, quam* Franciscus Coppetta *non solùm Poeticæ, sed etiam Oratoriæ facultatis peritus bellissimè recitauit. Ea verò nulli audientium tam longa est visa, quàm nunc nobis videtur describentibus, & foras trudere festinantibus. Colligo ex eo quod adhuc pusculum apud ignem commorati super ea varijs sermonibus dissertuère. increpantes alij Metrodorum, quòd seni collocasset; alij Sempronium, quòd senex duxisset Virginem puellam: excusantes autem multimodis Pandulphum, cuius non solùm honestati, sed etiam vitæ consultum esse gaudebant. Ad hæc singulis in non amplo conclaui apud splendidum ignem excalfactis, quanquam paulò post cubitum discessuris, hoc est tempore ad potandum minùs opportuno:* Rex *non cæcubum, aut falernum, sed his melius trebianum ex Aërijs circa collibus genitum* Archelao *propinat. Ille poculum duntaxat labris admotum, Cape, inquit, elegantissime* Coppetta, *mecumque per Liberum in gratiam redi, si sum tecum iocatus uberiùs. libenter, inquit* Coppetta, *quia sum narrando fatigatus; & sicca ora, siccum guttur ardet irrigari. Nam apage istam quam offers causam humanissime* Archelae. *Iocus licet submordicus non desiderat reconciliationem inter ingenuos; ac si maximè desideret,*

non aptè tu illam per Liberum cum cultore Apollinis & Musarum. Imò verò Caporalis *interpellat, Aptissimè. nam quod aliud poetis numen magis propitium, magis et amicx p:atum, quàm Bacchus? Iactant illi quidem Ascrea flumina, Dirceos fontes, & Castalidum laticem aut Caballinum. Sed tantùm iactant & verbo poscunt: ipsi se generosis Albano aut Falisco largiùs ingurgitant. Nec Vates (mihi credite) aut plures, aut meliores olim rigabat in Parnasso Aganippe, quàm Mœcenatis cella vinaria in Vaticano. Sub hæc poculis non Heluetico more certatum, sed ciuiliter ac modestè inuitatum inter iuniores. Porro* Ergastus *&* Archelaus *vt magis grandes, ita magis abstinentes, libatis tenuiter poculis arridebant, seseque in conspectu pariter hilares atque amabiles præbebant. Quærit interim* Rex *de hora. nunciatur sextam pridem auditam: sed videri tardiùs ferri horologium noctem esse haud dubiè magis adultam. Ergo, inquit, ad optatissimam quietem & ad artus vino conspersos largiore somno irrigandos properemus. Crastinum diem, vt cuique cordi erit venando, inambulando, colludendo insumamus licet hunc postea in locum sub vesperam stata hora conuenturi. Superis beneuolentibus ad incœpta munia obeunda, vt illud sit corporis, hoc animi & ingenij negotium. Vtrumque honestũ laudabile nobis & nostro generi conueniens. Ita cœtus dimittitur, & ab singulis cubitum itur. Postridie ad vesperam vsque alijs alij negotijs intenti, pro arbitrio carpebant diem ad præscriptam horam præsto futuri, vt iubebantur.*

Decadis Primæ Finis.

THRASYMENVS
siue
ANTOLOGIAE
Illustrium Exemplorum.

DECAS SECVNDA.



Exemplum Primum

Argumentum.

Sutor Calcearius in re angusta tres nubiles filias vnde collocaret non habebat. Precatur quotidie S. Nicolaum, vt sibi præsto adsit. Dolon Argentarius pietatem pauperis irridet. meliorem ait sibi Patronum contigisse Danistam Hebræum. Lætatur Hebræus se Sanctis Christianorum anteferri. Demum ita cadit res. Argentario & Danista illusis, eorum sumptu Calcearius filias maritat.

Commodùm Nox morantem, & solito magis nitentem inuida occiderat diem; & pertæsa parricidij, fontem lucis Apollinem rogabat, vt splendidiore

didiore flamma Calestes accenderet faces, quibus saltem defuncto fratri honestius parentaret: cùm ad idem conclaue, diurnis negotijs cùm die finitis, ad mentem recreandam nobilis turba conuenerat. Quibus aliud ex alio fabulantibus, quasi lasciuiens dextera fides exploraret cantumque pertentaret, ad iustam armoniam mox edendam: Regis *amabilem nutum pro imperio habens, hoc narrandi exordium resumpsit Ergastus. TAMETSI ex legibus ante constitutis libera cuique nostrum facultas permittitur de quocumque argumento disserendi; tamen plerosque animaduerti colloquio superiore libentes nostra vestigia secutos. & quia ego de condonandis iniurijs dixeram, multa eodem spectantia cùm voluptate (spero etiam cũ fructu) disputata sunt. Quo magis mihi cauendum esse arbitror, ne parùm iucundam, aut parùm vtilem materiam prior in medio proponam, à qua non dixerim imitanda & persequenda, sed saltem comprobanda vester animus abhorreat.* Rex sapientissime, optimi Sodales. *Ergo agè sanctissimam* Pacem *pia* Liberalitas *consequatur, & fœdam opum cupiditatem illustre factum ab homine non illustri, longissimè gentium doceat amandare.*



Vmmus Pontifex Leo X. Ecclesiam gubernabat Catholicam Romanam, cùm hoc factum miraculo proximum Ferrariæ fertur contigisse, quod Mithologi seculares à scripto-

ſcriptoribus rerum Eccleſiaſticarum mutuati ſunt. Opiſex fuit calcearius nihil poſſidens aut terrarum, aut pecuniarum, præter id quod in diem ſuendis calceis lucrabatur. ceterùm Vir erat religioſus, & modeſtus, & ſimplex. Mulierem ſui ſimilem, ſed aliquanto magis ſolertem atque prudentem in matrimonio habebat nomine Paulinam, ipſe Calliſtus vocabatur. liberos genuerant, alebantque communibus omnium laboribus, marem quidem nullum, feminas autem tres. quarum duæ iam adultæ multos amatores propter pulchritudinem, ſed nullum maritum propter paupertatem inueniebant. Calliſtus iam ætate in ſenium vergente, cum aliud à quoquam præſidij non expectaret; totum ſe ad diuinam miſericordiam benignitatemque conuertit. In primis S. NICOLAVM quaſi Præſidem Patronumque ſibi adoptauerat. ad cuius in templo aram & imaginem quotidie ante lucem, & ante opera diurna genuflexus hanc fermè precationem recitabat, O Præſul Sanctiſſime ac liberaliſſime, qui olim in terris degens domeſticas copias ad opera pietatis conferre ſolitus eras; qui tres Virgines ſorores æque pauperes à turpitudinis periculo redemptas, & auro tuo dotatas honeſte collocaſti: reſpice de Cælo ægeſtatem meam, & periculum impendens mearum, niſi maturis beneficio tuo nuptijs iungantur. Nihil ambigo Pater nec ambigere fas eſt;

maiorem

maiorem nunc tibi esse quam olim fuerit, benemerendi facultatem. Tu grandes Domino pecunias viuens fœneratus es. nec est clam me, quid ille tibi repromiserit, & qua tecum ratione stipulatus fuerit. centum pro vno spopondit redditurum. Age Præsul humanissime, tuas reputa, vt illas olim reputasti, filias meas: earumque tantisper defende virginitatem & puritatem, donec commodum vtrique inuenias maritum. Ego quamdiu viuam, & illæ pariter mecum, quem Sancta Ecclesia diem tibi consecrauit, asperiore inedia excipiemus, & præcipua veneratione prosequemur.

Hæc aliaque consimilia Callistus in singulos dies repetebat, nec antea vnquam manè in tabernā quin priùs in templum, & ante aram Sancto dicatam. Festis autem diebus precatio longior crebrior, efficacior adhibebatur. In eadem habitabat vicinia, & eodem in templo frequens erat Dolon argentarius. Qui cum sæpè ad aram S. Nicolai genuflexum adspiceret sutorem intente supplicantem, omnique gestu ambientem, forte cum illo simul templo egrediens; Quid tu, inquit, ò vicine cum illo Sancto negotij habes? fortasse cum sis pauperrimus, rogas, vt te diuitem efficiat? Non reprehendo: quippe qui grauissimum scio esse paupertatis iugum: sed habeo ego, si velis, excutiendi viam meliorem. cui ore libero Callistus,

Apage,

Apage, inquit, cum ista interrogatione homo nummorum. Ego quamquam rudis sum atque imperitus, hoc tamen didici & scio, non esse à Deo, neque à Sanctis petendam opum affluentiam. sit vnde viuas, vnde vestias, & quo te in tectum recipias: hoc satis esse nobis debet peregrinantibus,& aliam quęrentibus domum perpetuò mansuram. Me (Superis gratia) non pœnitet quantulum in dies lucri facio, & sum honestà paupertate contentus. Filias habeo duas iam adultas, & coniugio maturas. his dotem à Superis precor: & spero per Sanctum Præsidem Nicolaum largituros. Risit ad hæc verba non sordidus tantum atque auarus, sed etiam impius Dolon, non aliud Numen, quàm argentum aut adorans, aut agnoscens. & O, inquit, stolidissime mortalium, qui à mutis imaginibus pecuniam expectas. tuæ vero filiæ si aliam dotem non habent,quam quæ à Sancto tibi conficitur; credo nubent proximis Calendis ante Lupercal. At tu si saperes mi homo longe aliam insisteres viam augendi fortunas tuas, & istarum locandi puellarum. Mihi crede non supplicationibus & votis, sed industria, sagacitate, solertia dos paratur filiabus; ab his maximè, quorum est domi res angusta, spes foris planè nulla, & viuere coguntur in diem. Quanto ego melius? qui non statuas & marmora sollicito, sed Ismaelem danistam mihi curato-

rem

rem & patronum delegi. præstat hic mihi, quod nunquam Nicolaus tibi, quotannis aureos minimum trecentos. Ego illi fœneror condicione bona: ille alijs refœneratur meliore. sic lucramur vterque haud magno cum labore, periculo plane nullo. Tu si velles (nam amo te) huic adijcere negotiationi census tui partem, & præterea quantum tibi pecuniarum labor assiduus parit super tua tuorumque alimenta necessaria: ego spondeo tantum ad te vsurarum esse rediturum, vt prope singulis annis singulas nuptias filiarum tuarum aspicere possis.

Ad quæ quidem Dolonis in speciem vtilia, sed reapse inhonesta, & homine Christiano indigna consilia breuiter Callistus respondit, Malle se inopiam & ægestatem omnium rerum pati continenter, quàm omnibus bonis abundare per inconcessas, & lege vetitas vsuras. Dotem filiarum non esse sibi vllum dubium (modò precantem fiducia, innocentia, pietas non desererent) quin à Superis humanissimus Præses impetraret. eum verò non stolidè solùm, sed prorsus impiè facere, qui Vir Christianus perfidum Hebræum, malis artibus infamem Sanctissimo Præsidi anteferre non dubitaret: sperare se tantum scelus haud inultum Cælites laturos, cùm minimè putarent, fors ei supplicium, sibi auxilium à cælo venturum. Ob quæ verba conuicijs proxima, nihil incanduit,

nec acerbè respondit Argentarius: morem scilicet secutus auarorum. quibus nihil latu graue, nihil perpessu durum videtur, nisi si quid vel auferat compendium, vel afferat dispendium. iurgia, maledicta, & contumelias ita prætereunt, vt sentire non credas. Dolon igitur subridens hoc tantùm respondit: Breui es visurus, Calliste, ac palàm confessurus, quàm multum Ismael mihi, quàm nihil Nicolaus tibi largientur. Quod nimirum idcirco dixit Argentarius, quia tempus appetebat, quo tempore Danista supputatis rationibus lucrum totius anni ad se domum afferre solebat. id erant cuiusque anni primordia post Christi Saluatoris diem Natalem. contentio autem hæc inter illos inito Decembri fuerat inchoata. Per quod spatium quoties alter alteri occurrebant, extemplò ridens Argentarius: Hem Calliste, cudit necnè, an nondum etiam tibi argentum ad nuptias Nicolaus? Puto iam cudit, inquit Callistus, & in sacculum recondit. nũc tempus expectat numerandi. Ecquando autem istud explebitur tempus? Nescio, inquit: sed suspicor cùm tua etiam maturuerit, & mensuram impleuerit adulta malitia. Sumus enim eodem tempore vterque (iam prædixi) tu castigandus, ego consolandus. Atque hoc pacto cum sæpe inuicem luderent, & lacesserent cauillis; forte aliquando litigantibus, & speciem altercandi præ se ferentibus

Ismael

Iſmael ipſe ſuperuenit. cui cauſam clamoſæ contentionis requirenti narrat ordine Argentarius, quam quæſtionem cum Calliſto agitaret, & qua cauſa ſuſceptam. Mox Hebræum ſolito blãdiùs demulcens, & dextra humerum ſupernè contingens: Hic hic, inquit, colendus tibi Calliſte: contraque paupertatẽ huius potius, quam Nicolai imploranda ſubſidia. Quippe huic antè ceteros (incredibile dictu) facultas prodigiorum, & vis pecuniæ in immenſum permiſſa eſt, ſinè cura, ſinè opera fœnerantis. Non neceſſe habebis, ſi me audias, fatigare inanibus precibus Cæleſtes, & iſtum ſemper diluculo excitare Sanctum Procuratorem, vt ſupero Monarchæ tuos porrigat ſupplice libellos. Hunc ſi habueris amicum Iſmaelem, ſat eſt: atque vtinam antè habuiſſes: non nunc adſpiceres ſedere domi otioſas, & tecum ſeneſcere grandes puellas. Ad quæ ſtultiſſima verba vir innocens, & Cælitum reuerens Calliſtus, quamquam exarſerat iracundia, & ſic negligi Sanctos Dei ægerrimè ferebat: tamen non aliud in præſens reſpondit, quàm confidere ſe, vt propediem cauſam ſuam & ſuarum miſericors Dominus reſpiciat, & impiam dicacitatem, ſordidamque auaritiam (vt ſe dignum eſt) vlciſcatur.

Iſmael cum ſe ſuamque ſapientiam in tantum extolli animaduerteret, vt ab homine Chriſtiano inter Chriſtianos ipſis etiam

etiam Christi Sanctis anteferretur; non est credibile relatu, quanto intus gaudio, quanta foris superbia & arrogantia intumesceret. Cumque ob honorem sibi publicè habitum immensas Doloni gratias egisset, pollicitus se tanti beneficij gratum ac memorem semper futurum; ab eo tunc quidem alijs intentus negotijs propere digreditur. Vbi autem vespere reuersus est domum instituit seriò cogitare, num quam fors fortuna rationem sibi offerret gratiæ referendæ. iam præterierant Domini Saluatoris feriæ Natales. quo nimirum tempore solitus erat Hebræus Danista supputare rationes, & quantum Doloni ex annua fœneratione deberet, id ipsè met ad eum deferre, ac noua instituere nomina in annum consequentem. Supputauit: & Doloni ter centum aureos vnius anni compendium fore animaduertit. Hos non ipse ad hominem portare vt consueuerat, sed cum splendido munere per alium mittere decreuit, ioco insuper addito, vnde muneri gratiæ plusculum accederet. Nota est per Autumnum consuetudo hebręorum, vt hieme lautiùs vescantur. quia enim carnem suillam ex vetere interdicto tangere ac libare nefas putant; in eius locum domesticis pascuntur anseribus. hos propter eam causam adeò liberaliter impinguant saginantque, vt nonnulli quadraginta, sexaginta, etiam aliqui octoginta pondo æstimentur. Ex his vnum gran-

diorem

diorem Iſmael delegit, quem Argentario donaret. In eum tamen prius exenteratum, detractis inteſtinis, trecentos aureos tenuiſſima tela, tanquam marſupio inuolutos coniecit, atque abdidit inſutos. nempe pro certo exiſtimans, non eos ad aliorum, quàm ad ipſius Dolonis manus poſſe peruenire. ſiquidem Dolon tametſi erat valde locuples, & gente haud ignobili creatus; tamen neque vllas ancillas, neque vllos pueros domi alebat, vna coniuge contentus. hanc Hebræus longè optimam & honeſtiſſimam, & religioſiſſimam eſſe potiſſimùm ex eo intelligebat, quòd maritum à turpi quæſtu, & ab re vſuraria, id eſt ab amicitia ſua diuellere fruſtrà tentabat. Igitur non dubitare, ſi anſerem aperuiſſet, quin repertum argentum continuò ad maritum deferret. quem poſtero die ad ſe venturum ſperabat gratulabundum, & de aue prægnante, mox aurum enixa futurum inter eos longum iucundúmque ſermonem. Ea res quemadmodum hominem fefellerit, & longè aliter ceciderit, quàm ſpes fuerat amborum; deinceps paucis exequi conabor.

Acceptum Dolon anſerē, neſcius quàm pretioſum ſibi vterum geſtantem, poſtquam iterum iterúmque verſauit mirabundus, coniuge arceſſita: Delibero, inquit, de hac beſtia facturus quid ſim. Nobis viceſima illius pars in totam hebdomadam ſufficiens eſt. Reliquum per-

dere,

dere, non solùm dementia, sed & piaculum est. Censeo igitur vt venalem salsamentarijs, aut cauponibus, aut palàm in macello exhibeamus. Non est dubium, subridens bona coniux respondit, quin monstrum anseris domo extrudendum sit, & aliquò abijciendum. Nam (vt sis sciens mi vir) id tibi vni exedendum foret. Ego talia & à talibus nõ comedo neque tango. Vendatur ergo, dixit Argentarius: vendatur. feram ego ad auiarios propolas. & quamquam valet omnino ducatos duos: vendam tamen paulò minoris, & mox referam in numerato argentum. Cui statim vxor indignabunda; Sanus nè es, inquit, qui hoc palàm in forum, munus iudaicum, subitò noscendum? Mihi crede, non tu tam facilè anseris emptorem, quàm tui derisorem populum offendes: nec tu hodie pecuniam domum, sed scommata & ludibria relaturus es. præstat, si vendendi libido est, priuatim vendere cuipiam è numero vicinorum. nihil istis per istuc suspicionis, vel nouæ admirationis accedat. iamdudum te, tua compendia, tuas sordes nouerunt. Placuit prudens feminæ consilium marito, cuius menti tales auaritia tenebras offuderat, vt decens indecensue non internosset. Postquam igitur caligine abacta, redijt animi serenum: Vocemus, inquit, calcearium istum vicinum nostrum, sanè simplicem & bonum virum, cui familia numerosior facilè suadebit

debit emptionem, & nos dabimus pretio commodiore, quam alijs essemus daturi. vno aureo coronato mercē redimat haud dubiè duorũ. nil posco ampliùs amicum, pauperem, vicinum. Tu verò, inquit, pia femina, sapientiùs faceres, si totum donares mi vir in eorum criminum expiationem, quibus irritasti cælestem iram, cum isto contrahens atque communicans Hebræo trapezita. Tum Apage, inquit Argentarius, prodiga mulier cum ista tam profusa liberalitate: duos teruncios in stipem mendicanti si demus, sat est.

Ne longum faciam, euocato calceario, & quid se vellent rogitanti: Quid tu, inquit Argentarius, dono accepisti à Sancto tuo Nicolao, per Dominicos Natales? Nihil ego quidem in præsens ait calcearius: sed aliquid expecto propediem; præsagit mihi mens appetere tempus cum meas filias nuptui dem. Viri duo mei loci atque ordinis sanè strenui & honesti poscunt instantissimè. dos tantummodo moratur euentum, quæ in præsens mihi nulla. ducentos aureos sicunde conficere possem, hodie ipso vtramque collocarem ex sententia. Iussi ergo generos mihi designatos expectare paulisper, nec aliam interim quærere condicionem: confidere me plusculum etiam quàm peterent daturum paulò post. Laudare calcearium bona vxor argentarij, quòd omnem spem in supremo illo Monarcha, & in Sãcto Nicolao

quasi

quaſi purpurato ac ſatrapa repoſitam haberet: contra Dolon illudere ac inſultare pariter vtrique gloriabũdus: Iſmael Iſmael mihi præſto adſit, argentum pariat, lucrum ſuppeditet, beatus ſum. Vide interim quale quantumque honorarium miſerit mihi benè ominans ineuntis anni proximas Calendas. Inter hæc anſere prolato ſtupentem magnitudine, ac pinguitudine calcearium Dolon iterum alloquitur. Vides, inquit, noſtræ familiæ paucitatem. Mihi & vxori tam grande animal nè inuadere quidem animus eſt. puto integrum menſem aſſidue pugnantes vix profligare ac vincere poſſemus. In tuis caſtris milites ſunt, Calliſte, plures & robuſtiores. dabo hunc hoſtem vobis ad contrucidandum, & contruncandum. Spero breuiùs, faciliùs, iucundiùs debellabitis. pretium erit pro re minimum ac leuiſſimum, ſeſtertij quadraginta. Cui calcearius; Rem, inquit, video eſſe tanti. ſed quod alijs vile, id carum mihi neceſſitas mea facit: dimidio minus à me accipias rogo. id facilius tuà copia, quàm inopia mea fert. Quid multis moror? ſex denarijs tranſacta res eſt. Operæpretium videtur cernere quorũdam aut malum genium, aut aduerſam fortunam. pœnituit non ſemel calcearium quòd tanti emiſſet: & reuẽdere tantidem, aut etiam minoris exoptauit. neſcius inſipiens prægnantem volucrem in ſuis ædibus, in ſuo nido pullum aureum eſſe parituram.

Denique numerato argento digressus, & domum regressus, coniugem liberosque tot dierum obsonio parato exhilarauit. statim igitur prudens matrona Lucretiam filiam natu maiorem cognométo Flauam ad se arcessit: & Hanc, inquit, pennatam pecudem vbi deglabraueris cultro aperi, exentera, purga diligenter. mox ego diuidam tibi quas partes in hanc hebdomadam recentes coquere habeas, & quas in alteram tertiamque seruare oporteat duratas & sale armatas aduersus humidos tepores. Puella conscisso anseris vtero, dum interiora manu scrutatur, pro intestinis marsupium auro grauidum offendit, extractumque lætitia exultans, cùm ad Matrem deferret, fortè obuium habuit Patrem. qui re primùm audita, deinde oculis vsurpata, totus in admirationem stuporemque adductus, mox in varias cogitationes animo distractus; nihil vnquam minus existimasset, quàm venire vnde venerat tantam pecuniam, & fuisse huius missionis Auctorem Iudæum. Ergo coniuge accersita, Valde vereor, inquit, mea vxor, quid hic sibi Argentarius voluerit hoc intra volucrem auro occultato, & ad nos misso pauperculos, sibi odiosos, certè non amicos: cum è contrario ipse sit auri cupidissimus, & leuissimam quamque iacturam grauissimè ferat. Vidi ego cùm fortè inter numerandum teruncius excidisset, continuò capsas, armaria, sellas,

& totam

& totam subuertere domum, quousque reperit tandem, & gauisus est. Hunc tu talem sincero & candido animo suspicaris venire muneratum, & disperdere vltrò coactum Thesaurum? non potest. aliquis omnino sub hac specie dolus occultatur. Timeo vsurarios, & dona ferentes. Venit igitur in mentem referre ad Argentarium suam crumenam, & priùs illi reddere, quàm nos aliqua fraude circumueniat. Hæc Vir simplex Callistus. cui Sofronia vxor, haud dubiè maioris animi, & acrioris ingenij mulier: Ego, inquit, paulò aliter ista intelligo, & accipio, quàm tu facis optime Vir. Quid enim obsecro verearis? & quam fingas tibi fallaciam per isthæc moliri Argentarium? Vtrum tu callidum hominem in contrahendo decepisti, an illi quidpiam furatus aufugisti; vt tecum iniuriarum vel damni dati agere possit. Nihil huiusmodi factum, aut inceptum. Ille te rogauit, vt auem emeres. emisti: pretium soluisti: datam exportasti. Quis hic fraudibus, aut insidijs locus? An dicat quisquam fuisse officij tui, ferro scindere ventrem, & exta contemplari? non sacrificabas: & illò emptor veneras, non haruspex. Quanto satiùs est, nobisque conuenientiùs primùm Clementissimo, & bonorum omnium largitori Deo; dein nostro apud illum deprecatori ac Præsidi Sancto Nicolao gratias agere, quòd patuerint nostris precibus diuinæ aures, nec

in irritum ceciderint vota pauperum Parentum! Sic enim mihi persuadeo, mi Vir, & hoc habeo (si quid vnquam aliud) exploratissimum, vnde vnde hoc aurum erutum sit, quod nec dispicio satis, nec exquirere libet; venire in nostram domum Cælo annuente, Sancto mittente ad has Virgines iamdudum nubiles honestè collocandas. Id nos ipsi nostrum Patronum instanter poposcimus tamdiu, & nunc demum opportunissimo tempore indulgentem, & vltro ingerentem postulata, vel non agnoscamus immemores, vel dissimulemus ingrati? Nam quid illud est quæso, quod subiungebas te ad Dolonem esse relaturum? Scilicet ideò tecum, atque cùm liberis tuis munificus est Sanctus, vt tu suam liberalitatem aliò transferas reijciasque in hominem (pròh pudor) nominis sui hostem capitalem. Vade potius, quantum adhuc diei superest: generos appella, dotem pollicere, statim contrahite: nuptias hodie faciamus. Vos filiæ pinguem anserem in cenam varijs condiendam modis parate vniuersā multis hodie vesperi in conuiuio futuris apud nos.

Mutauit facile consilium, simplex ille quidem, at non pertinax Callistus; & vxoris prudentia collaudata, id quàm primùm exequi statuit, quod illa suadebat. Ergo statim domo egressus, Templū maximum ingreditur, præpotenti Cælitum Monarchæ, ac Patrono suo Nicolao gratulatum.

Huc

Huc in tempore paulo poſt (ò ſemper fauens innocentibus, & pijs mortalibus cæleſte Numen) ſua ſponte illi duo conuenerunt, quos Calliſtus petebat, generos ſibi adſciſcere paratus. Docet igitur breuitèr vtrumque, iam ſibi eſſe in expedito pecuniam, dotis nomine filiabus aſſignandam. ſi condicio illis placeret, ac niſi fortè aliud mallent; poſſe illo die negotium tranſigi & abſolui: dotem fore pro ſua & illorum fortuna non pœnitendam: ambabus filijs ſingulos centum quinquaginta Philippæos. Exultare gaudio ad hanc vocem, ad hoc promiſſum vterque ſponſi deſignati: & iam tunc gratulatione ante capta, propinquos inter ſe appellare, Calliſtum ambo ſocerum, ambo parentem vocantes complecti, rogare, inſtare vt negotium maturent. Sic primum actis Domino communiter gratijs; dein quæ ad coniugium, quæ ad dotem ſpectabant, contractis omnibus & expeditis; domum omnes ad Calcearium veniunt, ſponſam vterque agnoſcit ſuam, ritè nuptias celebrant, feſti & hilares diſcumbunt. Sofronia vxorem Argentarij, & Calliſtus ipſum Argentarium ad ſponſalia vocauerant, iuſſerantque honeſtiſſimum locum tenere inter diſcumbentes, qualem diuites ac nobiles vulgò ad populum tenebant. Quin etiam pronuba nouarum nuptiarum vxor fuerat Argentarij, ſponſaſque non tantùm auſpicijs, verùm etiã ſe dignis muneribus

honeſtauit. Steterat inter epulas, interque adſtātium communem lætitiam mirabundus Argentarius, Vnde nam pauper opifex tantam ſubitò pecuniam eſſet nactus, quanta duabus eodem die filiabus collocandis ſuppeditarat. Itaque domum reuerſus, poſt beneuolam gratulationem: Si fas, inquit, hoc me interrogare, dic amabo Calliſte, vnde tantum, atque tam repens ad te aurum defluxit? A Cælo, reſpondit Calliſtus. Prædixin ego tibi iam iſtuc mihi cudere Nicolaum, cum prima occaſione tranſmiſſurum? Hoc profectò aliud eſt, quàm beſtias mittere ſaginatas. Deſine poſt hac Iudæum tuum cum Sancto Epiſcopo velle conferre. Hoc poſtea videro, inquit Argentarius; exequere nunc modum rationemque tranſmittendi, vtrum per nubem, per Angelos, per aliquem Beatorum: an te ille potiùs docuerit, quo in hortulo aut campo defoderes theſaurum. De hoc aliàs, inquit Calliſtus, otium in præſens narrandi non eſt. me ſponſi & ſponſalia vindicant totum, curare aliud aliquid non permittunt. Ita vtrinque diſceſſum eſt.

Iſmael fœnerator hebræus, quia rem argutam & lepidam feciſſe ſibi videbatur, anſerem auro infarciens, nouus opifex culinarius; totum diem fruſtra expectauerat Dolonem, vt ad ſe iret, duplices gratias redditurus, pro anſere, pro pecunia. Tum verò etiam ſubducere cum eo rationes,

nes, & accepti expensique tabulas conferre cupiebat quamprimùm. Postero igitur die vbi statim diluxit, vltrò ille ad Argentarium se confert: & primis verbis; Quale, inquit, visum tibi nostrum munus Anserinum? Sanè magnum atque magnificum, respondit Argentarius. multam tibi de hac humanitate, ac liberalitate gratiam debemus. Nil fermè aliud. Expectare Iudæus, vt de reperta inter scindendum aurea crumena mentionem faceret. non facientem suspicatus est velle mentiri, ac secum dolo malo agere paratũ Dolonem. Ergo iterum, An tu, inquit, exenterasti auem prægnantem? & qualem in vtero fœtum offendisti? Fortasse obstetrix te fefellit, & auara pretiosum partum celauit. Expedi quæso, quid acciderit. Ibi cum aliquo rubore Argentarius, & si est inuerecundiæ Cupiditas Mater: Mea, inquit, vxorcula stomacho est imbecillo, & nimis delicato. ad sic opimam & ventriosam, & adipatam nauseabat. Itaque prorsus intactam Calceario huic vicino vendidimus. Pretium sex denarij fuere. Tunc animo consternatus, Hem quid audio? exclamat Hebræus. Vendidistis? & quidem tantulo? nos infelices, Calcearium beatum! Tumentem auro ventrem abiecistis, dum eum venditis donum. trecentos ad te aureos legatus Anser in vtero gestabat, tuum scilicet vertentis anni subducta ratione compendium. Vides quan-

tam feceris iacturam imprudens & incogitans. Ad quæ verba non minorem inmodum commotus Argentarius, periculo suo didicit mirandam esse Dei prouidentiam, & infinitis partibus antestare consilijs humanis consilia diuina. S. Nicolaum lepidè vltum dicaces iniurias, & Numinis sui contemptum. Merito sibi accidere, quicquid accidit, in vindictam. habere Calcearium pietatis suæ fructum: habere in quo Superis æternùm gratuletur. habere in quo suis obtrectatoribus insultans triumphet. In summa nihil propius est factum, quàm vt per eam verberationem resipisceret, ac frugi esse inciperet Argentarius.

Verùm enimuerò paulò post cupiditate rursus excitata, & spem nacta recuperandi, quod amissum esse videbatur; facilè antiquum vitæ habitum resumpsit, desiderio adhuc infante damnato, & suffocato tanquam in cunis. Ergo ad Iudæum conuersus, Quicquid huius factum est, id apparet tua culpa factum. Ergo tuam conuenit esse iacturam, nec omnino alterius quàm tuam. Quid enim? mittuntur isto modo pecuniæ ad creditores? vt neque cernantur occultatæ, nec aut scripto, aut dicto retegantur? Ego scilicet diuinarem metallo constare Anseres vestros, & tam pretiosis tumescere intestinis. Quid si pauperior vicina, vt interdum solet, aut quispiam agrestium colonorum, qui frequen-

ter

ter apud me diuersantur hesternum prandium mihi præparassent? illi nimirum potiri auro, rem inficiari, alio fugere securi potuerunt, nobis elusis. Nec est dubium, si quid huiusmodi euenisset, quin tuo vitio euenisse dicendum foret. culpam hic meam nemo agnosceret: iure tibi, ac stultitiæ tuæ Iudex imputaret. Fac vero etiam misisse me ad istas Calcearij puellas, vt ventrem auis exhaurirent, lotum purgarent, pulchrè iterum farcirent, coctumque reportarent. an non perierant, vt planè perierunt eodem modo, id est pariter tua culpa pecuniæ fugientes? Voluisti lepidus & vrbanus videri. visus fueris per me quidem: sed periculo, sed dispendio tuo; non meo, Frater. Ad has siue rationes, siue irrisiones non deesse impostori Iudæo quid responderet: sed anxius pecuniæ recuperandæ, cùm breuiter ostendisset omnem ab se cautelam fuisse adhibitam, nè anser in aliorum manus deueniret. ipsum facere imprudenter Dolonem, qui mentiretur, eam sibi esse agrestem familiam, cum de domus solitudine constaret: non seruos, non ancillas, non catulos, non feles, non quicquid edere possit cum illo habitare præter musculos, teredines, araneas: & gloriari auderet seruitijs vicinorũ, homo propter sordes quanto notior, tanto infensior ciuitati. esse inter cetera rusticanæ immũditiæ argumenta, quod lautiores epulas venderent, nec

à donatis abstinerent, specie stomachi nauscantis, ipsi ad panem cum rapa & nasturtio redituri. per hæc, inquam, purgatus incogitantiæ callidus Danista hæc ad extremum subiunxit: Ego tuum tibi remisi: tuas in manus peruenit: sponte ipse confessus es atque adeò confiteris. quid nunc mea obsecro, si tu vendere atque proijcere maluisti? Nempe arbitror poteras tuum. nec te quisquam non impudens reprehendat, quod de tuo ex tua, non ex cuiusquam alterius volũtate constitueris. Ego me iniquissimum omnium censuerim, si te in tuo iure venirem interpellatum. sed non venio, non interpello. Esto ratum quodcumque de rebus tuis fecisti possessor & dominus. Tuus erat Anser, quem ego donaueram; tua pecunia, quam reddideram. libitum est tibi, quod erat donatum, vendere; quod erat redditum, donare. Vendideris, donaueris: mea istuc quid refert.

Sic vicissim altercati, nunc irridentes, nunc seriò agentes; veritus ad extremum Iudæus, ne tota clades in suum recideret caput (veterator!) nouum oris habitum confingens, & sermone vtens mitiore: Cur nos, inquit, non istum continuò arcessimus Calcearium? qui si Vir innocens, & pius est, non putabit vnquam ad se pertinere, quod suum non sit. Credo illum Iudex, & supra Iudicem conscientia reddere coget; leui dumtaxat honorario, siue

(vt vos dicitis) eleemosyna contentum. Quæso aduocemus. Fiat, inquit Argentarius: nunc mitto arcessitum. sed tu hoc interim scias volo, nec istum esse vnquam redditurum, & nunc si maximè velit, non posse: duas heri filias matrimonio collocauit, quibus istos trecentos dimidiauit in dotem, & illæ iam in Virorum manus conuenere. aliud aliunde non habet Calcearius. se suamque familiam tenui opificio sustinet. non extorqueas anno quadrantem. Id verò lucricupidum Ismaelem quasi iaculo transfodit, & animum in nouam spem resurgentem, seseque attollentem subitò afflixit. Ac nihilominus placuit audire Calcearium. cui commodum aduenienti, Bone Vir, inquit Argentarius, quam tu pecuniam in aluo Anseris latentem offendisti, hanc scito esse huius quem vides Ismaelem Danistam Hebræum. Nec te arbitror fugit honestum ac pium hominem quid æquitas postulet, quid Relligio, quid lex: Suum cuique reddendum, nihil de alieno possidendum. quicquid cuiusquam vndecumque ad nos venerit, aut in nos inciderit, domino esse restituendum, licet non repetenti, aut se amisisse nescienti: quantò magis roganti, & instanti? Pluribus cum homine Christiano, & tali Christiano agere super hoc non oportet. forsitan hæc ipsa superuacua fuere. Potuit breuiùs: Redde aurum, hic dominus est. Enimuerò Calcearius interprete ac Magi-

ſtra vxore longe aliter iſta diſſerebat. Ego, inquit, non inficior: quod tamen ſi vellem inficiari, coarguere me non poſſitis: ſed ego in ſchola Chriſti verum dicere doctus ſum. A meis filiabus inter Anſerem purgandum trecenti aurei reperti ſunt. Qui commodùm ad me allati & ad ipſas relati, ambabus in dotem ceſſere. Hos ego cenſui, & nunc cenſeo meos. Quid mihi autem cum iſto negotij eſt? à te auem mercatus ſum, tibi pro illa pretium perſolui, tu illam ſinè vlla exceptione tradidiſti. Num egò ſcrutari debui, qualia ferret anſer inteſtina? Iſtuc purgantis, & coquere parantis officium fuit: non ementis. Aut ſi hoc intererat tua, tu feciſſes optimè Dolon: nec priùs venderes, quàm deuentrares. Contra hæc Argentarius multa, Iudæus plura diſſeruere; cùm dicerent æquum non eſſe, vt Calcearius aurum illud faceret ſuum, quod nec emere ille, nec vendere Argẽtarius in animo habuit. mercatum ſuper Anſere factum, pro Anſere pretium fuiſſe perſolutum: de auro nihil contractum inter eos, nec adeò contrahi potuiſſe neſcientes. hoc igitur ſinè dubio ad Iudæum pertinere: hunc legitimum pecuniæ dominum eſſe conſtare, poſt præſertim ementis confeſſionem. nec aliter in iudicio ſtatutum iri, ſi ad Iudicem veniatur. proinde vterque Calceario ſuadere cœperunt, vt aureis decem aut duodecim honorarij nomine acceptis, quos ſinè reli-

gione

gione obtinere posset, trecentis illis renunciaret, chirographo rem confirmaret, & homo egens litigando abstineret. Hos duodecim cum voles, Iudæus tibi numerabit, inquit Argentarius. Imo tu ab Argentario, cum voles, capito inquit Iudęus. mea minoris refert, qui iam dedi, & iam misi cui debebam. Imo istuc tua refert plurimum, inquit Argentarius: qui nec dederis, nec miseris vt debebas. At vos, inquit Calcearius, propter istud ne altercaminor. Ego ab nemine vestrum nec accepi, nec accipio teruncium. S. Nicolaus, quem vterque deridebatis, ille dotem filiabus meis donauit, ille defendet donatam: nec patietur perire beneficium suum. cum hoc dicto discessit.

Est Ferrariæ Magistratus cum primis honestus, quem Iudicem duodecim sapientum vulgò appellant. Ad hunc inter cetera spectat causas cognoscere atque decidere Iudæorum vel inter se, vel cum alijs litigantium. Præpositus huic muneri fuit illa tempestate Vir æquissimus, & homo humanissimus ex primaria nobilitate Antonius Constabilis. Ante hunc postridie citato Calceario Danista hebræus, & Dolon malè Christianus conuenere. Causam Iudex cognoscit, & vtrorumque rationibus diligenter expensis; non procul ab eo abfuit, vt secundum Danistam iudicaret. non enim videri ad Calcearium posse pertinere, quod ille nesciens emerat à venditore

tore pariter neſciente . tantum emptori nec teruncio amplius deberi, quàm quod pretium impleret ſex denariorum, id eſt non aliud quam Anſerem . trecentos aureos in ius ac poteſtatem prioris Domini redire oportere. Antea tamen quàm conſilij & ſententiæ ſuæ vllam daret ſignificationem, Vir ſingulari prudentia præditus exquirendum ſibi putauit, Vnde originem illa traxiſſet controuerſia, cur hebræus Chriſtiano ſimile donum, Volucrem auro maritatam. Ceteris muſſantibus, Ego, inquit Calcearius, rem expedio paucis. Illudebat mihi Argentarius, quod Sancto Nicolao preces offerrem, rogaremque Virginibus meis dotem ad nuptias. me ſi ſaperem (ſceleſtiſſime) non iſti Sancto, qui parum, aut nihil poſſet; ſed amico ſuo benè nummato ſupplicaturum. huic ſcilicet pecuniam crederem vſurariam quadragies tanto redituram quotannis ampliorem. Neque hoc priuatim mihi ſuadere: tuliſſem pauló faciliùs, & ſi non erat ferendum: ſed palàm in coronis, in conuentibus, in ipſis etiam templis ædibuſque Sanctorum non dubitabat anteponere Sancto Præſidi Nicolao, Quem putatis? Socratem credo aliquem, aut Platonem: vel vnum quempiam è noſtratibus, qui nunc viuunt, ſaltem Chriſtianum: minimè ille tales, ſed iſtum ipſum, Dei perduellem, Diaboli mancipium (horreſco proferens) Iſmaelem Daniſtam Iudæum.

Iudæum. Hinc ſcilicet effectum eſt, vt pro tanto beneficio, quantum erat ab homine Chriſtiano pluris æſtimari, quam Sanctos ipſos Chriſtianorum, relaturus amplam gratiam Iudæus, illam Argentario Volucrem miſerit auro dotatam: ſic arbitror Domino indulgente, Nicolao deprecante, vt hinc filias dotaret meas. Nunc vna ſupereſt filia. ſpem habeo eandem indulgentiam, eandem deprecationem mihi præſto futuram.

Non tulit humaniſſimus Iudex, vt alias rationibus preces adiungeret Calcearius. conuerſuſque ad Conquerentes, interrogabat, num ſic haberet negotium, vt Reus expoſuerat. Illi iamdudum ſtupentibus ſimiles, nihil reſpondere. OS nimirum clauſerat flagitij conſcientia, & linguam impiè dicacem compreſſerat vltor Nicolaus. Itaque Iudex non dubitare quin vera forent, quæ admodum ſimilia vero audierat; atque vt ſacrilegis iraſci vehementiùs, ita laudare pium Patremfamilias, eique gratulari, quod pietas ex voto ſucceſſerat. Cùm igitur ex Argentario & Daniſta totius facti confeſſionem bonis dictis elicuiſſet; Vir ad clementiam quàm ad ſeueritatem propenſior, primùm conſtituit trecentos aureos iure à Calceario filiabus in dotem fuiſſe aſſignatos. ſic antea ſupremos Cælites ipſumque Sanctum Nicolaum videri decreuiſſe. à Cæleſti iudicio nefas appellare iudices terrenos, &

hominum

hominum tribunal. habere pergerent, qui iam habebāt aureos cælitùs donatos: nec vlla vnquam esset Argentario, aut Danistæ facultas repetendi. Ceterùm vos, inquit, pecuniarum hoc est idolorum cultores, & Numinum contemptores pro atroci facinore, quod in Sanctum Dei perpetrastis, non tantùm argento, sed capite multandi habete in hoc gratiam ingenio & naturæ meæ, qui pœnam expeto leuissimam, & vtrique facillimam ad persoluendum, locupletibus, bene nummatis. Ite: pio Calceario numerate in præsens alios centum quinquaginta philippæos, dotem pro tertia filia futuram.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplũ Secundum

Argumentum.

Fœdus Mercator crumenā aureis confertam amittit. publico edicto quærit repertorem, & amplo inuitat honorario ad reddendum. reperta & reddita; studet fallere promissum: & dum partem perdere non vult, toto spoliatur.

Incertum habeo ex vtra re maiorem ceperit honesta societas voluptatem. certè vtrumque periu-

periucundum singulis fuit audire, tum quod Vir simplex Calcearius in iudiciũ vocatus pro damnatione tertiam dotem domum retulisset, tum quod fœdi vsurarij pro pecunia, quam repetebant aliam insuper fecissent iacturam. Sed aliud magis incertum & magis dubium in medio ponit Vbaldus. *Ego crediderim, inquit, si ex iure manu conſertum veniretur, & sine aliјs (quas vocant) circumstantijs causa ipsa penderetur; trecentos aureos in Anserem inclusos non ad Callistum Calcearium, sed ad Danistam hebræum pertinere. cum dico Danistam, dico pariter Argentarium, ad quem ille mittebat. Ratio mihi perspicua videtur, quia Callistus venit emere auem, nec aliud quam auem ad vescendum vt si quid præter auem fuerit adiunctum; ille hoc adiunctum emisse videri non debet, qui a hoc ignorabat, hoc non intendebat. Ex altera parte, qui vendidit Auem, non aliud vendere voluit, nec aliud vendere potuit, quam Auem, cetera ignorans. Ergo nec illa emptio, nec ista venditio ex iure censenda est. Relinquitur, vt ad Callistum solus Anser, ad Hebræum trecenti aurei pertineant. Hæc* Vbaldus. *aduersus quem* Philander: *Ego, inquit, à contrario starem, & tàm Anserem, quàm pecuniam addicerem Calceario. qui cum Anserem emit, omnia etiam emisse dicendus est, quæ intra Anserem forent. nisi si æquum est, qui porcum vendiderit, vt intestina poscat emptorem. Nam illa,* Vbalde, *infirma ratio est: Emptum venio volucrem, nec aliud quàm Volucrem. Reperio intus latens aurum, quod pariter nesciebamus ego qui emebam,*

ille

ille qui vendebat : Ergo hæc vera emptio, vera venditio dici non debent. Non consequitur. exempla conferamus. Ego piscem magnitudine insignem emo, qui anulos & gemmas deuorauit, seruatque in aluum recondita. Quis hanc dixerit non esse veram emptionem, & illos anulos, illas gemmas ad venditorem redire oportere? Ob id tantùm, quia vterque nesciremus, ego quòd emerem, ille quòd venderet? Adiungo amplius. Recordamini emptorem à Christo laudatum, qui cùm comperisset in quodam agro thesaurum esse defossum, omne vendidit Patrimonium, vt eum sibi emeret haberetque ditissimum agrum. Qui si thesaurum sibi vindicauit, & ex iure suum dicere potuit, quamquam emerat sciens: obsecro vos quantò iustiùs emisse ac possedisse dicendus est Callistus, qui omnia ignorabat? & illud nactus est non astutia, non solertia sua, sed tantum fortuna, hoc est Dei beneficium? Parabat ad ista respondere Vbaldus, *& ab eo* Pamphilus, Ergastus, *alij stabant: cum* Rex *imperato silentio; Mementote, inquit, vos non in scholam aliquam ad disputandum, sed in hunc elegantem ac liberalem congressum fuisse inuitatos, ad animum moralibus Historijs, & lepidis Narrationibus, tum instruendum, tum instaurandum. Mox igitur* Nestor; *Nolo, inquit mentiaris* Ergaste, *qui prædixeris me hodie tecum in eodem quasi stadio cursurum, & aliquid eiusdem argumenti allaturum.*

SVperioris *Exempli* clausula huius simile alterum mihi ad memoriam reducit. nec

nec admodum longe recedo à personis, à loco, à re. Aduersus duos Vsurarios vnus mihi mercator æque sordidus, æque fallax adducẽdus est. Ferraria Mantuam *Lectores* deduco, & idem planè spectandum propono: non sic longum opinor, at fortasse argutum ac lepidum magis. Hoc quoque ab Historia sumptum, nomine tantum mercatoris mutato, ferme ad verbum Fabulatores renarrant. Is Alchmæon Epidaurius dicebatur: Scriptor elegans recentior appellat Philargyrium. placet cognomentum moribus respondens aptissimè. Patriam quoque non Epidaurum in Illyrio, sed Corcyram in Græcia dant. Hic igitur vndecumque oriundus, & quacumque de causa transnominatus Alchmæon Philargyrius, ampla spatia terrarum & marium negotiando feliciter emensus, Mantuam demum se contulit, ibique domiciliũ sibi suisque collocauit, sub æquissimo gentis Gonzagæ Marchionatu deinceps victurus. Erat ille super ceteros mercatores valdè opulentus, & pecuniosus: tamen parcendi, lucrandi, coaceruandi finem nullum faciebat. more scilicet hominum huiusmodi sitientium, & vndecumque haurientium noua compendia. quibus affluenter ingestæ pecuniæ non satietatem inducũt, sed acuunt desiderium, plura vndique corradendi, & deuorandi. Accidit aliquando cùm in suburbijs frequens, amplum, ac diues ferueret emporium

rium, vt Philargyrius redacta ex diuendi-tis mercibus ingenti pecunia ſcutatos au-reos quadringentos in marſupium recon-deret: Veſpere domum relaturus, & hanc ad alia duo millia facturus acceſſionem. Enimuerò inter alias merces loco mouen-das, & ſuis quaſque arculis credendas, vt perendie repeteret (continens enim Do-minicus dies ceſſationem imperabat) cum alia quæpiam ſecum exportaret: Vbi tan-dem ad penates ventum, depoſita ſarcina marſupium abeſſe animaduertit: fors in taberna relictum, fors in itinere lapſum. Vtrumque ſtatim animo incidit: & ſpes ſubiens recuperandi tenuit dolorem, mox in queſtus & lacrymas erumpere paran-tem. Vadit ergo anxius atque ſuſpenſus eamdem relegere viam, nè vno quidem præterito commeantium, aut in proximo ſtantium, ex quo de crumena non quære-ret. Nuſquam quicquam. venit ad taber-nam: ſcrutatur, ſubuertit, conuoluit om-nia. tantundem. Itaque miſerum ſe ac in-fortunatum ſuper omnes mortales vocãs, poſtridie illius diei ad Marchionem Gon-zagam ſe confert, ſuam narrat infelicita-tem, & à Principe humaniſſimo impetrat Edictum; *SI QVIS repertam crumenam cum aureis quadringentis ad Mercatorem detuliſſet, præmium ei fore aureos quadraginta, ſingulas de-cadas in ſingulos Hecatones.*

Fortè anus paupercula, ſed admodum religioſa ſub veſperam laboribus eius diei finitis,

finitis, cùm ad templum Deiparæ Virginis in propinquo ſitum ſe contuliſſet; rogaſſetque ſuper cetera indulgentiſſimam Parentem, vt nuptijs filiæ ſuæ, quam vnicam habebat, proſpicere dignaretur: ecce in reditu properans domum, pedes impingit ad crumenam: nihil tamen ſuſpicans minus, quàm vt ad crumenam, tot præſertim nummis refertam. Scrutorum aliquid temere obiectum putauit ambulanti, qualia in magnis nundinis occurrere ſolent. itaque nihil cogitans ac nè reſpiciens quidem, vltra erat progreſſura, niſi pes vinculis implicitus ægrè paſſum moliretur. Nempe ipſa crumena ſeſe offerre, ac mutis vocibus rogare viſa eſt, vt ſe mulier humo ſuſtolleret, ſecumque domum aſportaret. non cogitanti obuiam erat facta: non complectenti pedes ipſa erat complexa: tandem deſerere ſe, ac fugere feſtinanti frænum iniecit, tenuitque donec in ſinum recepta, & ad pauperem caſam ſupportata eſt. At enim pia femina talem hoſpitam haud libenter domi erat retentura, niſi quantiſper optimum eundemque peritiſſimum Sacerdotem conueniret, qui iam multos annos à confeſſionibus ei fuerat: cum illo ſcilicet deliberatura, Ecquam viam ſimul inirent ſciſcitandi, ac perquirendi legitimum pecuniæ dominum. A quo ſi paulum eleemoſynæ, tanquam in mercedis ac præmij loco acciperet; eo ſe affatim fore contentam;

quod

quod habere licitum esset sinè vlla suspicione peccati. Quamobrem vbi publicum Principis edictum cognouit, lætata incredibiliter, quòd tantum sponderetur pecuniarum restituenti, quantum ipsa nec sperare, nec optare ausa fuisset; ad Principem rectà contendit, marsupium porrigit, promissum exigit. Miratur Gonzaga in magnum modum & mercatoris felicitatem, & mulieris generositatem. interea igitur dum ille aduenit, per nuncium properè vocatus, hanc ex habitu valdè pauperem esse coniectans, instititit rogare num quæ illi proles, familia, facultas. Cui femina, Paruam ego quidem, sed satis commodam atque aptam mihi possideo domum, à Viro nuper defuncto relictam. præterea penitus nihil. Ibi scilicet concordes & satis hilares viuimus ego & filia, quam nuptijs maturam, prope vicenariam honestè alere laboro: vitam vtræque lana ac tela tolerantes, in Deo & Deipara Virgine confidentes. Auxit hoc magnopere admirationem Gonzagæ, quod nec inopia rei familiaris, nec saltem necessitas filiæ collocandæ mulierem induxerint, vt pecuniam fortè repertam sibi haberet, ac silentio tueretur suam: nemine cogente, aut in ius rapiente ignoratam. Id quod haud facilè quemquam suspicabatur fuisse facturum, licet non sic incommodè viuentem, nec sic egentem præsenti argento. Ex hoc igitur collegit feminam esse in

primis religioſam, & valde dignam, cui dos præberetur ad filiam honeſtè collocandam: paratus de ſuo facere, niſi fors aliud oſtenderet. Mox iterum ad illam: Si tua, inquit, filia nubere volet; quod te velle par eſt, illa etiam nolente, aut recuſante: dic vnde in dotem tibi pecunia? Spero, inquit vetula, hos mihi aureos quadraginta, quos mercator donabit, abundè ſuffecturos. partem dumtaxat ſi adiungo ædium mearum, & attribuo illis ad incolendum; gener præſtò adeſt frugi, modeſtus, honeſtus. Atqui ſubiunxit ſtatim Gonzaga, ſi tecum paulò poſt nec gener, nec filia conuenient (vt vulgò accidere videmus) quid te fiet ſola, vetula, ſpoliata? Dominum, inquit, & Matrem Virginem, & S. Franciſcum ſperò mihi ſubſidio futurum. & præſto eſt conſtructum ornatumque à tua munificentia honeſtæ paupertati publicum hoſpitium.

Ecce inter hæc ſuſpenſo animo Mercator. Cui Princeps, O quam tibi omnes Cælites fauent Philargyri! Adhuc quatriduum non eſt: & reperis quadringentos. Hæc quam vides honeſta & pia femina crumenam ſibi obiectam ex-inſperato, dum forte à Templo reuertitur domum, vltro ad te defert. cape, numera, ſta promiſſis. Exultare gaudio Philargyrius, pecunia tam feliciter, quàm celeriter reperta. ſed idem conturbari paulo poſt, ac triſtis eſſe propter promiſſum ex-tempore ſoluendum.

ſoluendum. Ergo ſecum agitare animo, quemadmodum ne illos quidem perderet quadraginta, & callido commento fraudaret exigentem. Mox ſuper abacum in ipſo Marchionis cubiculo expoſitam pecuniam, ſollicitè numerans, omnino illam ipſam, hoc eſt non numero tantum, ſed genere offendit penitus eandem quam perdiderat, & per Edictum vulgauerat palàm, quadringentos Philippæos. Ac nihilominus vultu paulùm conturbato, ac tumentibus oculis intuitus mulierem: Bona femina, inquit, vbi ſunt præter iſtos in loculum conditi quattuor & triginta Veneti ducatones? Nimirum eos furtim ſubducere maluiſti, vt hac via duplex tibi conficeres honorarium. Sed falſa animi es: illos quoque antea mihi reſtituas oportet, quàm do vnũ mercedis quadrantem. Ibi vetula dolore iraque concitata; O mi Domine, inquit, quale verbum ex te audio infelix! totos quadringentos potui (ſi vellem) facere meos. ſola in ſolo loco ſub crepuſculum humi iacentes, in me occurrentes, ac propemodum mihi blandientes non tam reperi, quàm excepi, domum aſportaui, mecum habui ante hunc diem, nemine arbitrante aut ſciente. quis me hoc nomine in iudicium raperet, aut furti accuſaret, aut omnino appellaret, niſi fortè Haruſpex & Diuinator? Commodùm tamen audito Principis Edicto, arreptam crumenam cum tot centenarijs cucurri

mea

mea ſponte reſtitutum; & nec vis iſtius exigui cupidine tam fœda, quàm fatua eſſe deceptam? Equidem magnifice vir, nec tam irreligioſa ſum vt quod meum non ſit, id mihi vindicare velim: nec rurſus tam ſtolida, vt ſi modo vellem, non totum potiùs, quàm particulam mihi vindicarem. Te miror iſtuc inſimulari, quod ſi feciſſem, nec Dei præceptum, nec Diaboli placitum rite impleſſem. Deus vult omnia reſtitui, Diabolus omnia teneri. ego neutri obſequens fuiſſem. Hic nihilominus inſtante, ac per Deum affirmante Philargyrio, illos Venetos triginta quattuor marſupio fuiſſe ſubtractos, nec antea ſe promiſſum exoluere velle, aut debere, quàm illi reponantur: pia femina in lacrymas verſa, & ad Principem conuerſa; Teſtor, inquit, Excellentiſſime Domine, IESVM Chriſtum, & omnes Cælites, tantum abeſſe, vt quicquam ego defraudauerim, mihique reſeruauerim, vt nè manum quidem coniecerim in crumenam, tantum viderim, clauſerim, abſconderim: ſic Domino redditura, vt inueneram plane, penitus intactam.

Intellexit facilè Marchio ſordidi Mercatoris aſtutum dolum, ſecumque ita reputabat, quanto eſſet illa mulier innocẽtior, & Numinis reuerentior; tanto hunc hominem magis improbum, & magis impium ſe oſtendere. Varia igitur cum animo reuoluens, parũ abfuit, quin continuo

K in

in carcerem trudi iuberet, mox laqueo ſtrangulandum, duplicis perfidiæ damnatum. Nec enim tantummodo aduerſus mulierem, ſed aduerſus Marchionem ipſum ſceleſtus ac perfidus fuiſſe arguebatur. quippequi promiſſam Ptincipis nomine pecuniam cui ſors induliſſet reperire, ac mẽs poſtea ſuaſiſſet reſtituere crumenam; negabat ſe ſoluturum, obtentu pariter doloſo, & facile ad refellendum, vt ſtatim Marchio refellit. Animo namque ad mitiorem partem tranſducto, & capitali ſupplicio in multam planè iocularem, at non propterea minus acerbam Mercatori futuram, lepidè conuerſo: Dic, inquit, ò vir elegans & ſapiens Philargyri, quam tu ob cauſam nudius tertius & antea mecum colloquens dixiſti, & poſtea per Edictum meo ſub nomine confirmaſti, tantùm aureos quadringentos in tuum illud marſupium abs te conditos fuiſſe, de iſtis autem triginta quatuor mentionem penitus nullam feciſti? Reſpondit quàm cum maximè impudenter Philargyrius: Tunc, inquit, illi tãtummodo ad memoriam redierunt, proximè conditi: de iſtis recordatus non ſum, longè antea locatis. Credo, inquit ſubridens Gonzaga: qui ſingulos teruncios in ſuo quemque locatum loco anxiè ſeruas: hos tam multos oblitus es marſupio creditos ducatos. Enimuero dicam ego tibi, & aperiam quemadmodum hæc ſe res habet. Hæc crumena (& accepit,

cum

cum hæc diceret, manu crumenam auro confertam) non eſt illa tua Philargyri: non eſt: quam te amiſiſſe quarto ab hinc die conqueſtus es. porro in tua (ſicut hodie affirmas) fuere non ſoli quater centum Philippæi, ſed præterea Veneti ducatones triginta quattuor. in hac autem, quam mulier inuenit, ſoli erant aurei quater centum, nulli præterea ducatones. Venio exinde in magnam ſuſpicionem, ne id tibi attribuere ſtudeas, quod ad te nihil pertinet, & cuiuſcumque potius eſt, quam tuum. Scias igitur Quæſtorem publicorum vectigalium, qui eſt idem noſter Eleemoſynarius, perdidiſſe ſub hos dies (furto ſubductam, vt putabat) huic valde ſimilem crumenam, in quam conditos de meo habebat ſcutatos ipſos quadringentos, non vno plures, vel pauciores. Mea igitur crumena, meum eſt aurum Philargyri: non tuum, nec alterius cuiuſquam. Cum his autem dictis ad mulierem conuerſus: Quandoquidem vides, inquit, crumenam abs te repertam non eſſe illam, quæ putabatur, & quam iſte perdiderat Mercator; ſed eſſe quam Quæſtor perdidit meus meam: gratulare Superis pia, innocens, religioſa, nec amplius paupera mulier, Ego iſtam tibi donatam volo: I fortunata, filiam nuptui da, perge (vt facis) viuere innocenter: nihil à Superis, nihil à nobis deſideratura. Hoc tantùm prius auſculta, & ad cor intimum altiùs reconde;

Si quando aliam inueneris crumenam, in qua præter quadringentos aureos, illi lateant triginta quatuor ducatones; memento statim deferre ad hunc inclytum, ingenuum, liberalem Mercatorem. nam sua erit sine dubio: & (quæ illius benignitas est) non fraudabit te honorario: illis saltem donabit te ducatonibus. Læta mulier insperata felicitate, ac Principis eximia beneficentia; lacrymis gaudio manantibus, se tanto munere prædicans indignam, actis iterum iterumque suppliciter gratijs: Faciam, inquit, Illustrissime Domine, quod imperasti. Fruar cum filia marsupio tuo, reddam Mercatori suum, cum inuenero.

Agnouit Philargyrius, suam fraudem à sapienti Principe detectam, & serò pœnitens incepti, mulierem cubiculo exeuntem, ac domum regredi properantem; Mane mane optima femina, rogabat. Meũ est aurum: Princeps non negat: redde crumenam, cape honorarium, & te solue religionibus. Ad hunc autem conuersus Princeps minacibus oculis, vultu præferens iracundiam, & furorem subitò coortum; Scelestissime, inquit, & impudentissime mortalium! non te pudet id quasi tuum vel.e vsurpare, quod tuum non esse confessus es me audiente? sic (infandum) placet furari, & rapere alienum? Expecta si libet, dum crumenam reperiat mulier tuam, & nè dubita, quin continuò illos

ad

ad te afferat cum quadringentis ducatones. aut vade quò dignus es, in maximam malam crucem, nisi mauis edicto nunc meo trahi per lictores ad carnificinam. Qua territus minaci obiurgatione Mercator, nihil contra hiscere ausus, tremens discessit, suas tecnas, & suos dolos in præsentia detestans. At ille nequaquam deliberat tamen, quemadmodum ab his in posterum abstineat; sed quemadmodum cautius atque sagacius intendat, quousque sarciat alicunde hanc tam imprudenter, & stolidè factam iacturam. Eum vero aliquot post annis grauiter ægrotantem cum amici hortarentur, vt Confessarium arcesseret, & Christiano ritu animam expiaret. Ægre illi quidem, sed tamen induxerunt, atque in hoc habuerũt dicto audientem. Venit Animæ Curator, mentem repurgat per Confessionem, dein cibo instaurat cælesti; postremò vnctum Superis commendat, & solatur moribundum. Quid nunc quæritis amplius? Paulò post quietissimè defunctum, credere omnes ad splendentia sidera, æternosque Beatorum cœtus euolasse; cum de-repente horribili tonitru concuti cælum, & domus tota contremiscens à fundamentis visa est ruere in profundum. domestici, propinqui, & alij circum-stantes formidare, trepidare, clementem Deum, benignam Matrem, Sanctos omnes implorare: siue fugerent, siue starent in incerto habere: adeo sursum

 deorsum

deorsum trahi omnia, & simul misceri putabant. Mansit hæc perturbatio tumultusque haud minore spatio, quàm dum Clericus, Parochi minister, lenta & flebili voce supplicans præiuit ad Dominum, ad Dominam, Chorosque Sanctorum. Demum vbi quiesse omnia visa sunt, in cubiculum regressis familiaribus, vnde singulos expulerat metus: (rem dictu mirandam!) cadauer in lecto repertum non est. quærere sub lecto, post armaria, in arculis ipsis: nullum vestigium. tantummodo pestilens in cubiculo fœtor, quasi mortuarum ac putrium bestiarum. Ex hoc autem quid suspicari promptum sit, & quam in partem accipere singula conueniat: alij aliter disputabant, prout quisque diuitibus auaris vel fauebant, vel inuidebant. Mihi quoniam neutrius partis hoc tempore studium est, rem in medio censui esse relinquendam.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplum Tertium

Argumentum.

Quattuor virorum furta insignia, insperatum indicium, atrox supplicium.

Iuuat me quoque, inquit Fernandus, *à proposito argumento non nimium discedere: quantulum videlicet spatij medium est inter auaros & fures.*

ANno seculari millesimo quingentesimo, tametsi strepebant armis Italia, Gallia, Hispania; multi tamen ex tota Europa, imò & ex India Romam confluxere ad solemnem criminum expiationem, quod vulgò Iubilæum appellamus. In illo anno sacrosancto (quàm verum est vulgare verbum!. *NON fabricari Ecclesiam vllam Deo, sub qua suum non construat Dæmon sacellum*) per illos dies animis expiandis, & excolendæ pietati destinatos, hæc in Vrbe acciderunt, quæ narrare ingredior. furta in primis callida & miranda. Quattuor fuere callidissimi mortalium. Cuiates? roget aliquis. Ego propemodum nescio. credunt aliqui Neapolitanos. at nihil tamen explorati habemus. Nomina, quibus quidem inter se appellabant (nam conficta esse constat) hæc tradita sunt à professione non abhorrentia, *Furius, Clepa, Tingus, & Mingus.* Horum innumera flagitia circumferri non ignoro. Mihi de his quattuor compertum est. Primum ponere libet, quod aduersus perfidum pannarium, eundem sordidum ac diuitem commenti sunt, nomine Gabriam hebræum. Mane ad illum omnes venerunt, habitu nequaquam indecoro, &

tabernam ingreſſos, nunc hoc, nunc illud ſpectantes blandè compellat tabernarius, Amabo Domini, quid me vultis? Cui Furius, Noſter, inquit, Epiſcopus ex Gallia vſque Romam aduectus, & hic complures dies futurus, idoneam tunicam, & latè fluens pallium ſibi emi mandauit. quin etiam in animo habet totam nouis veſtibus exornare Aulicam cohortem. Hæc tu ſi fortè habes venalia omnia, & pretio nequaquam inſano tradere nobis voles; maiorem vno die quæſtum feceris, quàm ſoleas per menſem. A me verò, inquit Hebræus, iſta ſingula ſumatis licet. pretium ipſi ſtatuitote ſcio hic quemquam non daturum condicione æquiore. Nec mora: omnis generis veſtem explicans, commendans, porrigens oſtentat. Furius, & ſocij legere meliora: & partim ſuis aptare humeris, partim ex abaco tollere, ſecum laturi ſub axilla, inter manus & bracchia. Quidam interim expedire pecuniam ſonantem, ſimulatque de pretio conueniſſet, numeraturus, vt quidem videbatur. Mox iterum Furius ad Hebræum. Hæc, inquit, veſtimenta ſunt nobis, noſtræque familiæ apta vniuerſa. nunc iſta conſideremus, quæ maioris momenti ſunt, corpus Epiſcopi exornatura. Vereor, inquit Mingus, vt iſta tunica ſatis deceat Antiſtitem noſtrum. videtur mihi paulo breuior paulo etiam anguſtior, quam ipſius latis humeris, & ſtaturæ conueniat. Hic Hebræus

bræus; Quanta, inquit, Pontificis vestri magnitudo, & pinguitudo est? Puto non superat meas, qui sum omnibus vobis & grandior & ventrosior. Certè, respondit Furius, non superat. Mihi par Episcopo nostro videris Gabrias ire per omnia, quicquid corpori tuo decens atque conueniens est, id non dubitem adamussim fore illius. Age igitur periculum faciamus. indue tu Gabria tunicam, & serico cingulo stringe: Mox pallam super indues latè caudatam & vndantem. nos a fronte, nos à tergo te contemplabimur. Facit illico lucricupidus, nihil aliud suspicans mercator. & qui nec erat quidem Christianus, extemplò comparuit Episcopus. Callidi aduentores contemplari & circumspicere curiosiùs. Tum; Optime, inquiunt, antrorsum omnia. Ipsus hercule, quem simulas, effectus videris. Agè nunc explica gradum, & da tergum aspicere ambulantis. Erat longior, quàm latior officina. dum ergo illam Gabrias auersus metitur, & magnificè gradum suspendit; illi commodùm palliati, suffarcinati sese proripiunt, passibus in tantum moderatis, vt fugere illos non diceres. Hebræus cum se illusum esse animaduertit; iactura, dolore, iracundia concitatus in publicum prodit vociferans, Fures inclamans, opem omnium implorans. Concursus vndique artificum institorum, aliorumque: quid ea res esset rogitātium, & quid iste sibi vellet

in sacro schemate perfidus Hebræus. credere primùm dolo malo fecisse, vt sic illuderet Prælatis Christianorum. Mox vt furentem minātemque conspexerunt aliud aliquid suspicari: nec res tamen vt facta erat, venire cuiquam in mentem. Fures ad illum tumultum, atque ad illos clamores tametsi apparebat illorum causa fieri, non admodum tamen commoueri, neque celerius intendere iter. tantùm dicere palàm, quod simillimum vero erat, Hebræum vino madidum sic incedere, sic insanire. Interim illi pedetentim è conspectu abire, alius alia gnari viarum & regionum. Gabriæ ad infamiam ebrietatis, & mercium iacturam hoc insuper accessit, quod pecunia multatur ob sacrum habitum (sicut putabant) contemptui & ludibrio vsurpatum.

Dixi de primo furto prolixiùs: tria reliqua breuiter expediam. Ijdem aliquo interuallo alter ab altero distantes per Vrbem incedebant. Videt Furius Mercatorem non adeo nobilem, in ipsis tabernæ foribus super abaco numerantem pecuniam. Erat in conspectu aceruus denariorum. fors aurei triginta. Intus socij penitùs nulli: magna circa ostium solitudo: mercator argento fixis oculis inhærens. Fur capta occasione chartas expedit lusorias: dein se mercatori exaduersum locat, speciem præbens quasi alea colluderent super expositam tabellam. Hinc terna

folia mercatori, terna sibi assignat. vtraque aperta suam faciem, suaque puncta ostendebant. illorum duo vnius generis & familiæ fuere, tertium diuersi: Quam imaginem veteres Primariam, nostrates Primeriam vocant. & hæc quidem fuit attributa mercatori. Contra folijs ab se stantibus, aliam fur effigiem concinnauit, & vires dedit victuras aduersarium; nempe omnia vnius erant cognationis, & in eadem cohorte feliciùs pugnabant. Hoc signum antiqui Superfluens nominabant? nostri Fluxum maluerunt. Ergo Furius ad mercatorem, antea manibus correpto argento: Victus es, inquit; chartas inspice tuas, measque. tu tantùm duos generis eiusdem, ego singulas eiusdem. & vincit Fluxus Primeriam, binos Baculos, terni Enses. Mercator à principio reuera ludere hominem existimabat., quis enim crederet sic impudenter facere quemquam in media Vrbe, de medio die? Vt autem sensit seriò agere vrbanum latronem, se non solùm illudi, verùm etiam pecunia spoliari: elata voce; Non ludo, inquit, non ludo. redde furcifer argentum. Quo nam modo subiungit Furius audes dicere, Non ludo? Vos dicite circa-stantes, qui vestris oculis diu spectastis conludentes. Iàm illò ceteri latrones conuenerant. horum testimonio fides facta opificibus, alijsque Mercatori amicis, qui concurrerant, eique adesse cupiebant. Omnes enim

credere, ac pro certo habere illum lusisse, pecuniam perdidisse: nunc autem irasci, clamare, insanire propter factam iacturam.

Sequitur tertium. Dies illuxerat sacrosanctus, in quo Redemptoris Natalia celebrantur. Galli Sacerdotes Templum S. Aloysio dicatum solito magnificentius exornarant. Ara Maxima, & quædam præterea minores multo auro, multo argento, aliquot etiam gemmis radiabant. In his duo eminebāt sigilla cubitalia Sanctorum duorum, Galliæ Præsidum, Ludouici, & Remigij. Quæ quidem affabre cælata, & vmbilico-tenus extantia, vtrumque Altaris cornu mirifice honestabant. Ea Rex Carolus Octauus donarat, cum in Italia parùm feliciter rē gereret, VOTVM maturæ reuersionis in patriam. Æstimata sunt singula duum millium aureorum. Sed quid tandem hic callidi latrones? Furtum facere ausi supra fortunā, & captum suum. Manè ante prandium solemni Liturgia perpetrata; cùm adhuc tamen duo Sacerdotes in duobus sacellis priuatum sacrum festinarent: ecce in Templum subito Mingus, Presbyteri habitum gerens, intra tunicatus, extra linteatus, candido scilicet ac rugoso amictu, quem nescio vtri minus decenter appellent, docti nè, qui Superpelliceum, an vulgus, qui Cottam. Ego alterius etymon fateor me ignorare, cum hic nullas videam pelles: altera fortasse

inde

inde dicta, quod cum linea sit, & semper mundam esse oporteat, identidem lauando excoquitur, vt candescat. Mingus igitur sic exornatus, & candidatus se palàm fert, in vultu actuosus, ac seuerus apparens. Ponè, sequitur Tingus, toto hàbitu Baiulum repræsentans, tãtùm pro sacco cistam ferebat. Accedit securo pede Mingus ad Altaria; & populo spectante, manu prensas imagines, catinos, aspersoria, nauiculas, ceterumque siue aurum, siue argentum componit in cista, quam Tingus humero sublatam foras exportat, nemine prorsus aut quicquam dicente, aut quicquam mirante. Forte paulo post illuc veniunt, & illac transeunt veri Sacerdotes, eiusdem Templi cultores. vident Altaria suis viduata ornamentis. ac primùm quidem existimare Superiorum iussu fuisse sublata, & in Sacrarium haud temere recondita. hoc magis: quod percunctati circa-stautes, ex his audiuerunt venisse dudum Sacerdotem Æditúum & Sacrarij Præfectum cum baiulo & cista; illum scilicet euexisse. Dum hæc dicuntur alij superueniunt, in his Custos non custos Ecclesiasticæ supellectilis Monsù de la Gêne. Cui quidem re postmodum comperta magnum conuicium, maius supplicium Superiores imponunt. Furtum & fures latebant.

Venio ad vltimum, quod compendio referam. Feminæ pauperculæ fullonicam

artem

artem factitantes, prope Tyberim loco infrequenti pannos extenderant ſiccandos lintea, induſia, mantilia, mappas, alia huiuſcemodi. Quodam die per hiemem paulò tardiùs negotio perſunctæ, ſub ipſum noctis crepuſculum veſtes adhuc ſemiudas colligere feſtinabant, properè ad caſas licet propinquas rediturę: cùm ecce infamis eorūdem latronum quadriumuiratus hinc & hinc ſe oſtendit. furuas veſtes induerant, furuas alas humeris aptauerant. ex capite bina ſingulis cornua eminebāt, vnde horribilem fumum flammis emicantibus vibrabant. ad hæc faciem, barbam, capillos ſic efferauerant, vt ſolo aſpectu fortibus etiam viris horrori eſſe poſſent: quid feminis cenſeas, addito fremitu, clangore, vlulatu? Manus præterea vngulatas & ſerpētibus armatas prætendebant. Vt verè dixeris ex Acheronte quattuor Satrapas Plutoni aſſiſtere ſolitos illuc erumpere, non gregarios aut vulgares dæmoſtellos. Fruſtra fuit tantus apparatus, quaſi tigrium & leonum ad gregem terrendum fugandumque imbellium feminarum. Illæ vero ſtatim animo conſternatæ plangentes, eiulantes, Deum implorantes, quàm celerrimè poſſunt, fuga domum contendunt, hinc caniſtris multa veſte oneratis, illinc fuſis & colo trepidè relictis abiectiſque. Poſtridie palàm vbique facinus prædicare, multa etiam non viſa pro viſis referre, cum ipſis veſtium

dominis

dominis excusare quod Dæmones venissent, se abegissent, pannos rapuissent. Testes præter ipsas viri aliquot fuere, sic vulgo habitum & creditum est.

Iam latrones non solum amplissimas verum etiam pretiosissimas cõgesserant omnis generis prædas; cum Furius natu grandior, atque vsu peritior; Sodales, inquit, & Commilitones mei paucis diebus optimè rem gessimus. tempus est alio eundi & ad hanc prædam pecunia mutandam, & ad nouas ex nouo agro cautiùs petẽdas. Ego Bononiam cogito. Perusini pauperiores sunt quàm vt debeant; Florentini sagaciores, quàm vt possint fallacijs & fraudibus circumueniri. Bulgæ, arcæ, iumenta in expedito sunt. Censeo post triduum ad iter accingamur. Probant sodales consilium, & cupidè omnes dictam expectant diem. Enimuerò nè id tantulum cessarent, ac pigre torpescerent manus; velle interim (si occasio sit) aliquid alicunde lucelli conradere, prius quàm conuasarent, migrarentque non redituri. Forte fortuna postridie illius diei apud Borgias Alexandri VI. Pontificis cognatos Regale conuiuium celebrari audiere. in quo viri ex primaria nobilitate, cum sua quisque coniuge Principis vocatu discumbebant. Ibi fermè noctem perpetuam circa ignem fabulari, conludere, tripudiare, compotare. Cytharedi, cantores, pantomimi, scurræ omnis generis distinguebant, & variabant volup-

voluptatem. Dies ibant Lupercales: Aula erat amplissima: nemo accessu, nemo aditu prohibitus: valuæ patefactæ, incustoditæ multos quoque admiserant insigniter personatos. Horum in numero Tingus & Clepa fuere, hic Satyrum, ille Nympham simulantes. Ibi ad Principes oblectandos ac demerendos, quippe qui bonas hercule strenas donabant artificibus ludendo peritioribus, alij aliud inuenire commentum, & ostentare nouimodis ingenium atque artem suam. Clepa occasionem sponte oblatam lucri duplicandi, gloriæ inquam & pecuniæ, non putauit esse omittendam. Sumpta igitur Dæmonis persona, quem ille agebat egregiè; prodit subitò in medium, & se simulans Veneris amore incensum; tam appositè dixit, tam ridiculè planxit, tam denique horribiliter concrepuit, caliginem, flammas, fremitum confundens, vt omnibus admirationi fuerit, præmiumque reportarit quale optabat, gloriosum, quæstuosum. Et si autem nosse hominem omnes cupiebant, nemo tamen rogare ausus est, vt se aperiret, latere studentem. Vna fuit ancilla inter pedisequas feminæ nobilioris, ex numero earum, quæ in ripa Tyberis metu fugatæ amiserant pannos. Hæc strepentem, vlulantem, & flammas vomentem conspicata; eundem visa est Dæmonem videre, quem prior viderat, & eamdem prope intus formidinem pati. Surgit

extemplò,

xtemplò, & heræ ad aurem susurrat con-
ecturam suam: Hera credere hoc procli-
iùs, quòd ex pannario tumultu illa fece-
at grãdem iacturam: & spes animo blan-
iebatur, inde forsitan esse sarciendum.
rgo statim hæc ad maritũ. maritus Prin-
ipem docet. qui per lictores adductum
bi hominem truci vultu interrogat, Quis,
uias, cum quibus, quam artem. Homo
ibita formidine correptus (qualem di-
unt esse omnium istiusmodi naturam)
ix expeditis nec dum adhibitis tormen-
is tremebundus fateri omnia de se, de so-
ijs, de præda, de loco, de migratione.
Iis indicijs capti omnes illa nocte ante
olis exortum. Et quid morer in superua-
uis, nihil amplius non commune haben-
ibus? Imo aliquid fuit in supplicio minus
ommune. Furtis reclusis, conuicti, dam-
ati, Dæmonum habitu producti, viuen-
es in foro concremantur. Atque (vt piè
redere fas est) ad eos mortui descẽderũt,
uos in vita nõ solo habitu reprẽsẽtarunt.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplum Quartum

Argumentum.

Tres admodum mirandi euentus insidias
Dæmonum

Dæmonum patefaciunt tunc maxime lædentium, cum prodesse videntur incautis.

Sic Fernandus *erat locutus, & singuli* Sodales *in magnam admirationem, ac prope stuporem adducti videbantur, meditantes ipsi secum astutias fraudesque mortalium: cùm* Pamphilus *Vidistis, inquit, quantum virium hominibus aduersus homines fuerit, habitum & formam Dæmonum gerentibus. nunc videte quantum Dæmones ipsi potuerint, quantumque ausi fuerint aduersus pios mortales, piorum ipsorum faciem atque habitum mentiti. Spero nec minus iucundam, nec minus fructuosam fore* Narrationem *trium dæmonum, quàm fuerit quattuor latronum.*

IN Vrbe nostra per illud tempus, in quo Raspantum furore compresso, Nobilium factio & opes valebāt; hoc pro comperto habetur incidisse, quod recens Collector Exemplorum ad Senenses trahit. Quanquam hic quidem paulo aliter recenset: & potest fieri vt idem vtrobique contigerit, qualia non pauca in Historijs, & veterum, & recentium leguntur. Me non sinit dubitare quin nostrum sit personæ auctoritas, qui referebat Hieronymus Saunarola. Fuit igitur per ea tempora Perusiæ nobilis adolescens, Leander nomine, Ferruccij strenui Ducis Filius. nomen familiæ proaui & abaui, apud nos quidem raro vsurpabant. ideo in Contra-

ctibus,

ctibus, testamentis, alijsque scriptis temporum illorum viros etiam honestissimos non fere aliter appellatos videmus quàm hoc modo. Fabricius Cunstantij Ferramontis: Bernardus Michelotti Herculani: nos nostrum siue Leandrum, siue Ferruccium nominemus licet. Hic annum duodeuigesimum vix expleuerat, cum à studijs eloquentiæ, in quibus longulè processerat, gradum referens totum se ad Musicen contulit: dico pariter ad eam, quæ vocibus; & ad eam, quæ fidibus constat, & vtramque insigniter callebat, colebatque. Ob hanc causam Religiosis tàm forensibus, quàm claustralibus plurimum vtebatur; eratque in illustribus templis frequentior, nunc voce, nunc lyra, nunc organis canens. ceteroqui non solùm elegans, honestus, liberalis; verum etiam religionis ac pietatis eximius cultor. Dies aderat S. Laurentio sacer, in cuius honorem primas Vesperas (vt mos est) solemniùs canere parabant. Vnà cum Cantoribus atque Canonicis Leander in porticu lentè ambulans, & familiariter colloquens officij moras fallebat: Cum ecce puerum vix annos pubertatis ingressum, vultu supra illam ætatem modesto, ingenuo, liberali. Ad quem prior Leander. Quis tu, inquit, & cuias venuste adolescens? Ille se Pistoria oriundum, & quidem non ignobilibus, sed pauperculis parentibus respondit. Venisse Assisium expiandæ animæ gratia,

Calendis

Calendis Sextilibus, in templo Virginis Angelorum. quo functum munere Perusiam accessisse, si fors aliqua sese offerret apud quempiam non iniqua condicio seruiendi. Se in litteris & Latinis, & Græcis aliquousque; in Musicis longè vlteriùs esse progressum. si vellent, è vestigio periculum facerent: inuenturos non rudem totius disciplinæ humanioris: ac proinde non indignum, cui consultum venirent, aut ipsi excipientes, aut alteri commendantes. Ille verò etiam tacens ob pudorem frontis, aliasque indices animi dotes Leandro complacitus erat: additis bonis artibus, & sua præ ceteras Musica, nihil admodum cunctatus, credo metuens, nè quis ante-caperet; Esto, inquit, in meam admissus familiam: si frugi esse perseueraueris, non in famuli, sed in fratris & filij loco habendus. Ille plurimis actis gratijs profiteri se hoc beneficio perpetuum illi deuinctum fore: de se autem polliceri, & quæ dixerit omnia, & super cetera obsequium & fidem.

His commodùm peractis, ecce Antistites, ecce Magistratus: singuli properè in templum, in Chorum. Hic Episcopum præeuntem, atque opem Numinis implorantem, cantus sequitur & symphonia reliquorum. in qua puer Pistoriensis (Nearco erat nomen) suauissimam vocem nunc intendens, nunc remittens, nunc circumflectens ita omnium aures mulcebat, &

non

non homine genitum, sed Cælo delapsum alij cantores putarent. Capiebat igitur consilij sui fructum quotidie vberiorem, ac lætiorem talis famuli Herus Leander. hoc magis, quòd non solum seruire liberaliter, sed etiam consulere prudenter, & facere fortiter (vbi opus foret) æqualem in modum Puer nouerat. Quod admirabilius est quanquam à Domino cunctis præferretur honore verborum, elegantia vestium, dignitate munerum, quæ illius fidei, non alterius credere solebat: nihilominus tanta erat in puero modestia, & tam prudens moderatio, vt non Dominis ipsis, quam conseruis gratior atque amabilior videretur. Res biennium ita processere, cum Leandri tam intimo gaudio, tam effusa lætitia, vt se felicissimum mortalium prædicare auderet propter vnum Nearcum, quem non iam dicam vt fratrem, sed vt se alterum, aut se ipsum diligebat carumque habebat. In vno voluisset paulò diuersum, & dicto magis audientem, vel hoc vnnm in puero, nihil aliud reprehendebat, quòd per quàm raro, idest nunquam nisi cum necessitas cogebat, sacras ædes ingrediebatur, diuinisque ceremonijs præsens intererat. Quoties enim cum alio quopiam, vt ferè fit, Leander Templis appropinquabat, intro-iturus ad Numen salutandum, vel ad sacra obeunda; commodùm Nearcus causari atque confingere semper aliquid, nè cũ Domino

Ecclesiam

Ecclesiam intraret, sacrisue interesset. Erant semper in expedito impedimenta, & varij generis negotiola, quæ interim sibi curanda esse affirmabat, quæ longiorem moram non ferrent, quæ tunc ipsum præsentiam exigerent suam. id verò tam probabiliter, tam efficaciter, tam opportune repræsentabat; vt quanquam crebriùs eueniret; tamen Domino sic amanti, & frustra interdum monenti, nulla vnquam mali suspicio venerit in mentem.

Agebatur Christiano ritu (vt nunc quoque mos est) vernum ieiunium quadragenariũ, nec procul aberant sanctioris Hebdomadæ tristes dies, in quibus IESV Christo Dei Filio nostra causa defuncto parentatur. Callidus Nearcus quia fortasse alias fallacias & causationes consumpserat, nè iam frequentia excusandi suspectior foret, pridie ipso Palmarum mentitus subitam febrim decubuit: certus ægrotandi, nec ante ad sanitatem redeundi, quàm Christum rediuiuum sua Sponsa recoluisset. Leander (vt eum siue amor occœcabat, siue dolus impellebat) non solùm credere, sed miserari, Medicum accersere, frequenter inuisere, amanter consolari, denique vnà curare cum reliquis familiaribus. Ex vna re non nihil suspicionis ad animum irrepere, ac paulatim confirmare cœpit, quod instantibus domesticis, vt obiret in lectulo Confessionem, & sacram sumeret Eucharistiam, more scilicet fidelium

Chri-

Christianorum; primo respondit confide-re se, vt præsens in Ecclesia facere posset, post quatriduum sanus & valens futurus. deinde cùm eum Leander ad Sodales Seruitas (ea tunc Familia Ferruccios curabat) secum ire vellet ad sacra Mysteria obeunda, nũquam inducere potuit modò aliud, modo aliud causantem. non placere illum sibi Confessarium indoctum, lusciosum, qui pecuniam posceret pœnitentes. pariter sibi odio esse Carmelitas, Augustinianos, Dominicanos, & quicumque paupertatem professi, opes tamen vel possiderent, vel affectarent. Ego, inquit, medicum animæ habeo inter Franciscanos, qui non dum à vetere disciplina recesserunt. Cras meditor cum illo esse, ac meo fungi officio sub Auroram. Hæc Nearcus. Quæ quidem Leander vero ne, an falso dicta reputauerit, incertum est. hoc certum: sedulo quæsiuit, sagaciter inuestigauit, nunquam reperit factum. Ergo in dies gliscentem suspicionem non ferens quodam die manu prensum, secumque abdu-ctum frustra obluctantem, in Templum S. Laurentij, sic est affatus solus solum. SCIS Nearche quàm mihi quotidie carior ac iucundior fueris, ex quo in meam familiam es cooptatus, receptusque in consuetudinem intimam. Merito meo, dices. non eo inficias. quin ego semper affirmaui, & vltro confiteor palàm. Verũ enimuerò feci è seruo vt in fratris loco

esses mihi: dicerem in filij, si hoc ætas pateretur amborũ. certe meus in te affectus aut æquat, aut vincit paternum. Propterea tergiuersari mecum ampliùs non debes, sed apertè ac liberę īndicare, quod iam vides expetere me super curas & negotia omnia. Dic amàbo charissime frater per necessitudinem nostram: dic adeò (si sic rogare fas est) per Cæleste Numen, in cuius domicilio sumus; Quod nam istud, & quale impedimentum ita efficax, ita importunum est, quod te non solum à Liturgia sacrisque officijs mecum fungendis, sed etiam ab ingressu Ecclesiarum tantopere deterret tenetque? Non est, quod solemnes atque vulgares excusationes mihi recantes, Quemdam in præsens habeo conuenire, Is mihi ad macellum præstolatur, Oblitus sum libellum precationum, Vado petere Rosariam coronam, Dictum factum reuertar, Hic ero, cum illic censebis esse me. Tum me postea rogante quare aut non redieris, aut serò redieris, aliam super aliam fabricari fallaciam, & crebris dolis circumuenire credulitatem meam. Hæc inquam omitte omnia, & istud refera mihi arcanum, quod ingens esse oportet; & ego diuinare non possum. Satis hoc tibi esse debebit, quicquid ex te audiero, gratum mihi futurum; nec ex me quemquam auditurum, nisi tu voles, nisi tu iubebis. Addico in id tibi, Diuis præsentibus, iusiurandum & fidem meam.

Hac

Hac tanta impulſus contentione, imò crediderim magis diuina obteſtatione commotus, facere non potuit, quin ſe aperiret, ſuumque verius nomen reuelaret mentitus Nearcus. Itaque ambagibus remotis, hoc tantummodo præfatus, CAVE quiquam commoueare fortiſſimus, & Cælo dilectus Leander, Ego Diabolus ſum. Quo dicto velut iaculo transfoſſus adoleſcens, parum abfuit, quin mente alienata procumberet penitus exanguis. Vt ego ſuſpicor, ſubſidio illi, ac ſolatio fuit, quod in Templo peracta res eſt. Vbi quantum Diabolus terrebat, tantùm præſentia Numinis recreabat. Nec mora: veniam pacemque Cæleſtium implorans, & ſe iterum iterumque Crucis ſigno communiens: Vade, inquit, cum tua calliditate, tuiſque mendacijs in Abyſſum Sathanæ miniſter. Cui nihil commotus veterator, imo placidiorem quàm antea exhibens vultum; Mi Leander, inquit, quàm tua te opinio fallit, ſi me iudicas de numero eſſe illorum, quos Deus per Michaelem atque Angelos ſuos ad Inferna detruſit. Credo non ignoras homo litteratus, quod etiam muliercula iactant, quod olim peccatum Angeli peccauere id non eiuſdem grauitatis ac ponderis fuiſſe in ſingulis. Alij namque velut capita Coniurationis, & principes rebellandi fuere, qui ſecum infinitam turbam traxere ſectatorum, idem poſcentium, idem molientium. & hi quidem in

L bara-

baratrum vniuersi præcipites ruerunt, grauissimis addicti cruciatibus: non sinè discrimine tamen, quia horum quoque alij grauiùs, alij minùs grauiter peccarunt, & respondet peccato pœna singulorum. Aliqui contra tantùm assensu, & leui quadam inclinatione voluntatis ad ceteros se aggregarunt, quos dicere potuisses, Non nolle, potius quam seriò & ex-animo Velle. Horum & numerus paucior, & pœna leuior fuit. Ego scilicet inter istos: quorum statio nec Tartarus, nec Inferi sunt. Vobiscum colimus communem Terram, & cum quibusdam (vt ego tecum) familiariter versamur, aliàs muti, occulti, sinè corpore; aliàs conspicui, corporati, & res hominum agentes. Nec velim existimes, eam nobis quoque ingenitam esse malitiam, quæ se in illis ostendit cultoribus Inferorum aduersus mortales. Minimè nos istiusmodi perfidia & ingenio sumus: vel si quis est aduersus quemquam, ego certè aduersus Leandrum non sum, cuius pariter diligo corpus, animam, felicitatem. Nec me alias inquirere probationes oportet. quamdiu apud te sum, tu es optimus testis, quam nunquam te in officio religionis & pietatis interpellauerim. Orasti, vigilasti, silentium coluisti; tergnm flagellasti, misericors fuisti, corpus cibo fraudasti, mentem culpis exhausisti, sacro ferculo satiasti, me non tantùm lubente, sed interdum hortante aliquando adiuuante,

semper

emper laudante.

Ad hæc tales vaferrimus Dæmonum blanditias adiecit, vt incautum adolescentis animum haud magno negotio in fraudem adduxerit, secumque impulerit redire ad amorem, & consuetudinem pristinam. Et si autem pergebat, vt antea, Leander in omni officio religionis & pietatis excolendo, quemadmodum ab infantia fuerat institutus: tamen paulatim tepescere ardor ille Cælestium meditationum, & sensim animo tædium irrepere, quod postea in frigus, in glaciē, in odium vertit præcandi, psallendi, miserandi, largiendi. Vix iám communia quædam, & vulgaria pietatis opera obire consueuerat, ea quoque subfrigidè, festinanter, & prope aliud agens: cum hoc illi successit, quod audietis. Per tempora Baccho dicata, quæ Viris etiam modestis verecundiam non nihil relaxant, cum Leander solito liberiùs conuiuia, cōmpotationes, saltationes, excubiasque lupercales frequentaret, quibus potissimum Ars Musica, & ille Prothomusicus occasionem dabant: Calendis ipsis Februarij, hoc est pridie festum diem, in quo purissimæ Puerperæ solemnem Purificationem Ecclesia celebrat: vulgo ab accensis facibus Candelariam vocant: Ecce ad Leandrum post meridiem Pseudonearcus; Mi Domine, inquit, hodie vesperi mecum sis volo ad festiuissimā Vigiliam, qua negabis vllam tibi

gratiorem, aut illustriorem in terris visam. Quærere Leander, Vbi nam ista? & apud quem amabo? Dic sodes, Nearcule. Non dico, inquit: non dico: vt augeam expectatione voluptatem. mox præsens intuebere, ac me plurimum amabis indicem, ducem. Nostras censeo vt cum maximè adornemus, & concordes cànere doceamus, tu Cytharam, ego Lyram & Plectrum. spem magnam feci: rem inuenies maiorem. Sic veterator. Iterum tamen atque iterum Leander instare, vt conuiuij Regem, aut saltem conuiuij locum aperiret, non se alia ratione profecturum. Cui rursus Dæmon; Si dixero, inquit, rem, domum, conuiuas; haud dubiè recusabis Vir Patricius obire ignobiles nuptias. licet hic puellarum honestior forma, epulandi festiuitas & copia par, ludendi autem & iocandi liberior voluptas. Tu verò, subiunxit adolescens; toto erras cælo, si existimas me hominum locupletium, quàm huiusmodi tenuuium cenis interesse libētiùs; modò illa non desint, quæ dudum nominasti. Quid tam multis opus est verbis? Paùlò pluribus persuasum homini fuit, vt cum Diabolo iret ad nuptias. Operæpretium est animaduertere quemadmodum nos Dæmon fallat cautus incautos. Eo die statuerat Leander adire Confessarium, vt mane in Virginis honorem Mysteria purior mundiorque obiret iuxta veterem consuetudinem. Dum se autem

foren-

forensibus ornat indumentis, & superiorum dierum maculas recognoscit, in Christi sanguine deleturus, ecce Tentator, qui longè aliam subinferens animo cogitationem, sensui magis iucundam, facile alteram excussit natura odiosam & amaram. Sic omisit, quod erat faciendum; & quod non erat, admisit. Si constans in proposito stetisset, si rem optimè cogitatam, imò Cælitus inspiratam fortiter exequi studuisset; hoc est si ex-animo Christum Redemptorem, Matrem Virginem, Cælestes Aduocatos inuocasset, vt sibi subsidio forent, potuit repellere inimicam cogitationem; & se integrum intactumque conseruare. Hoc certè tantulum extorsisset, vt confiteretur: & pendebat ab hoc tantulo, siue fieret, siue non fieret ingens bonum, ingens malum, Vita, Mors.

Diem nox occiderat plus solito morantem; & densissimas circumquaque tenebras offuderat. puto verebatur ne se quispiam accusaret, & interciperet Parricidij ream: adeò non tantùm Lunæ, sed omnium remouerat arbitria stellarum. Fuit rursus in incerto quid ageret Leander: formidare illum noctis horrorem: nec audere cæcum pedem semitis credere accliuibus, decliuibus, semper inæqualibus. Enimuerò iam ingressus, Dæmone animos faciente, manu etiam prensante, ac fors iter expediente, satis bellè ambulans perrexit. Non longè aberat hora noctis se-

cunda, vti tunc etiam grandior campana faciebat indicium. ex cuius sonitu sensim deficiēte, ac languidiùs verberante aures, conijcere sibi Leander videbatur, se paulisim extra vrbem esse progressum. quibus autem foribus exissent, & in quam partem ferrentur, haud facile diuinabat. ita Dæmon inter eundum crebris ambagibus mentem confuderat, & potestatem non reliquerat certi aliquid cum animo statuendi. Hoc tamen suspicabatur se per portam & viam Romanam trahi Assisium versus. nec illum admodum opinio fefellit. tantummodo sinistrorsum itinere deflexo (vt postea compertum est) prope antiquissimum Monasterium consedere, cuius nunc ruinæ cernuntur, & Fauaronem vulgò appellant. Mirari Leander ad quas nuptias, ad quas vigilias tam longè ab Vrbis mænibus duceretur: & jam labra diduxerat ad exquirendum, ad conquærendum, cum ecce ante pedes in conspectu magnificum ac regale palatium. cuius valuas intrantibus, & scalas ascendentibus venere obuiam cum accensis facibus hinc scitissimi pueri, illinc venustissimæ puellæ. quibus præeuntibus in Aulam omni rerum elegantia refertam venerunt, inde ad alteram trāsmissi sunt ampliorem, ditioremque. pendebant quoquo versus ex pariete peristromata, multo auro argentoque intertexto fulgentia, sellę, abaci, armaria, & omnis aulica supellex eodem

cultu

cultu nitebat, cuiuis apta Principum potentiorum. pauimenta,& solum ipsum diceres certare cum laquearibus, catastromatum belluas ostentans,aduersus Satyros Nymphasque in summo radiātes. Omnia denique regaliter constructa, exornata, disposita magnificentissimas ædes honestabant. Vt sibi Leander non in terrenam domum, sed in ipsa Cælestium domicilia translatus videretur: Poteras, inquit, mecum Nearche vnum te facere Cælestium, si velles. huic argumento fui crediturus; & si cetera vetabant. Hinc ad interius conclaue penetrarunt, forma quidem & specie par; in eo autem pretiosius, quod mensas ostentabat, iam non dixerim ad regium cultum, sed magis ad barbaricam luxuriem paratas.quibus præter argentum operosè cælatum, ostro etiam & gemmis exornandis lecti adolescentes insudabant. dum alij cādidissimam Cererem, alij Bacchum quasi maritum illi congressurum expediebant mollem,suauem,generosum. Consederat inter hæc ad luculentum caminum festiua turba hominū adolescentium, & virginum puellarum, à quibus Leander singulis cum multo verborum honore fuit exceptus, & loco inter coronam honestissimo in aurea sede collocatus. Ibi variè fabulantes, atque hilariter iocantes cenæ non dum appetentis moras fallebant.

Poteram credo paucioribus verbis complecti,

plecti, quæ hactenus exposita sunt. Indulsi nimium animo per hæc cupidè vaganti. reducam nunc domum hoc libentius, quod me alia duo plane generis eiusdem (si meministis) at longè breuiùs narranda expectant *Exempla*. Vbi simul concurrerunt finis ludendi, principium edendi, dantur manibus lymphæ, honestior Leandro locus assignatur, ceteri confusi atque indiscriminatim discumbunt. Fercula numero multa, genere diuersa, condimento varia, sapore plùs quàm quisquam credere posset, iucunda, suauia, exquisita. Vinum, imò vina proportione cibis responderunt. quibus diu Germanico & Heluetico more certatum. Saturi tandem & ebrij planè omnes consurgere: apud ignem procaciùs colludere: inuicem dicteria & scommata iacere: donec ecce ad parietem ex-aduersum camino situm ingens atque conspicuum tribunal extruitur. ad quod ebore candicans, & smaragdo irradians, & auro vndique refulgens per argenteos gradus ascendebatur. In eburnea sella, tanquam in solio femina Reginæ habitum præferens consederat, in cuius fronte, oculis, ore toto cum verecundia seueritas, cum pulchritudine maiestas non dicam certare, sed concordes regnâre videbantur. Habebat circum se ad nutum & obsequium promptos Apparitores, Lictoresque, quorum erat Princeps, & quasi Archibarrus adolescens

Nearcus.

Nearcus. Per hos singuli coniuiuæ nominatim appellati, & ordine citati homines pariter mulieresque ad Reginam accedebant, eamque sicut Deam genuflexi adorabant. Mirari primùm vehementer, deinde miserari Leander illorum fortunam, qui ab imperatore Christo desciuerant, & in Dæmonum castris militabant: cùm ecce ad illum solito hilarior ac securior Nearcus. Mi Domine, inquit, per te intelligis officij tui esse tot conuiuarum, tot illustrium Virorum mulierumque vestigia sequi, ac mecum venire ad Proserpinam Deam adorandam, eique gratias agendas, quòd apud eam hodie vesperi tam liberaliter atque magnifice fuimus excepti. mox læti ad tuos penates reuertemur, & cras in templum (vt solitus es) die iam illustri, sacra obiturus. Atque hæc dicens porrigebat Leandro manum adducturus sequentem, tracturus resistentem. Cui Leander, parùm memor in quorum potestatem sponte venisset, vultu subirato (vt interdum Nearco minari solebat) Apage, inquit, quò dignus es cum tua Proserpina, tuisque falsidicis promissis. Hæccine sponsalia & nuptiæ liberales, ad quas dudum me inuitaras? Mendacissime. Non talia olim mihi spopondisti, cùm te domo extrudere volenti supplicabas: vsque adeò donec extorsisti. Bona memoria es. nosti pactionem nostram. In summa ego accessurus vnquam nō sum, nec aliud quam

Deum adoraturus: dicatis, faciatis quòd lubet. Tum Nearcus repente corniger apparens, caperata fronte, minacibus oculis, ore truculento. At enim clamat, accedundum tibi eſt, atque adorandum velis nolis. nec mora: vngulatis correptum manibus trahebat cum exprobatione: Putabas, inquit ſubridens, tale conuiuium gratis impertiri, & benè paſtus, bene potus fraudare cauponem? Ille autem ſerò agnoſcens, & ſeriò pœnitens exclamat, Clementiſſime IESV. Quo commodùm nomine audito Dæmones, homines, & palatium ipſum cum omni domeſtico inſtrumento diſparuit. Leander ab ſuo Nearco in fœdiſſimam cloacam præceps datus, vmbilico-tenus adeò tenaciter adhæſit, vt inde ampliùs moueri, aut extrahi non potuerit. Nox erat intempeſta, ſimul corpori frigoris horrorem incutiens, ſimul menti formidabiles laruas repræſentans. Clamare miſer quam intentiſſima poterat voce, nunc ad Cælites, vt ignoſcerent; nunc ad homines, vt ſuccurrerent laboranti. Tandem Cælo miſerante, villicus haud procul habitans exaudijt, feſtinans accurrit, vicinos aduocauit, conati ſurſum trahere, ac letho eripere gementem, inſtantem, morientem. Fruſtra: tam pertinaciter luto corpus hærebat, quàm ſolo quercus vetuſta, iactis in altum radicibus. Ergo ſupplex rogare, vt ad ſe adducerent Confeſſarium. Agreſtis Curio vocatur. ei

con-

confitetur, ab eo absoluitur: factum præsentibus, & circa-stantibus (iam namque plurimi conuenerant) se accusans, atque vberim lacrymans recenset. Nec ita post ibidem mortuus, ibidem sepultus documēto fuit quàm periculosa res sit, & Christiano indigna, vllum cum Dæmonibus habere commercium.

Nunc reliqua duo, vt sum pollicitus, compendio referam. Si quis ea verbosiùs, & expressiùs cognoscere amat, dabo Autores, & quidem locupletes, vnde simul narrationi voluptas, & *Exemplis* fides accedat. Primum duo recensent in Chronicis Franciscanis, Marcus Olisiponensis, & Didacus Nauarrus libro X. Secundum refert Collector Exemplorum nuper castigatus, & Pontificum iussu recusus. Quod S. Franciscus in Monte Aluernia Monasterium instituit, in eo quàm frugaliter & parcè, tam simul honestè ac piè viuebatur. at non sinè persecutionibus tamen, alijsque incommoditatibus, quas illi grauiores perpeti solent, quorum est, Domino spondente, Regnum Cælorum. Erant in primis odiosi Regulo illius regionis, cuius miror non tradere nomen Scriptores dudum laudatos. De tempore quoque certius aliquid inuenisse mallem. Illi hoc tantummodo: *NON diù post obitum Sanctissimi Patris Francisci*. Regulus ergo tantum aberat, vt pijs Sodalibus impertiret quandoque aliquid ad vitam sustentandam, vt eos

palàm conuicijs proſcinderet, cum iurgio ſemper exploderet, alioſque dehortaretur ab his demum excipiendis, aut vlla ope adiuuandis. Monachi ferre toleranter, pro ipſo Regulo Deum precari; nec ipſis vnquam deeſſe, quales optabant, frugales cenas. Interiecto tempore cum Regulus Florentiæ diuerſaretur famulum conduxit iuuenem ſtrenuum, æquè agendo bonum, & loquendo ſuauem, nomine Vulpium Senis oriundum. Hunc propter negotiandi peritiam & fidem, mox Aluerniam reuerſus familiæ gubernandæ Regulus præpoſuit, & Oeconomum, ſiue Magiſtrum domus creauit. Erat illi apud Regulnm quotidie maior auctoritas, poteſtas, fides omnium rerum. Itaque iterum iterumqu e opportunè in hunc ſermonem ingreſſus, tanta vi & efficacitate Monachos Franciſcanos laudauit, illorum præcipuè caſtitatem, pietatem, patientiam extollens; vt ſuum illis Dominum ex capitali hoſte pauculis diebus amiciſſimum effecerit. Proinde ad Monaſterium ex Reguli domo eleemoſynæ frequentes ac liberales mittebantur omnis generis alimentorum: carnes, piſces, legumina; panis ſupercetera candens, & ſuaue mordicans ſalernum. Ex eo Fratres non ſolum affluenter, ſed etiam laute, ac molliter viuere cœperunt. Hinc perturbatio diſciplinæ, ac viuendi licentia in aliquod magnum malum erat eruptura; niſi ſeniores ſanctioreſque Dæ-

monum

monum fraudes agnouiſſent, & illis obuiam ire feſtinaſſent. Cœnobiarcha ex communi conſilio venit ad Regulum. Agit gratias de liberalitate, qua ſecum atque cum ſuis ad illam diem fuerat vſus. deinde rogat vt abſtineat in poſterum, nec alias mittat ad Monaſterium eleemoſynas, quàm quas ipſi Monachi petitum venirent. vnde frugaliter viuant, abundè ſibi ſuppetere. lautitiam & copiam non eſſe illorum, qui ſponte ſeculo eiuſque delicijs renunciarint. cuſtodem Monaſticæ diſciplinæ, ac omnium virtutum eſſe Parſimoniam. Poſtremo ſubiungit, ſe ſuoſque in maiorem modum miratos, Vnde nam repentina illa, & profuſa in Monachos liberalitas ab eo Principe, cui menſibus antegreſſis omne nomen Franciſcanum odio eſſe videbatur. Ego, inquit Regulus, efficiam quod vultis: Iubebo deinceps petentes expectari, & his ipſis in manum tradi eleemoſynas. per meos aut per alios mittam penitus nihil. Ceterum me vobis tam beneuolum atque munificum fecit adoleſcens, meorum Curator negotiorum, homo ſtrenuus & pius, qui veſtram Familiam, & veſtra inſtituta mihi prædicauit prædicatque in ſingulos dies: hoc ſemper adijciens, Illas Deo eleemoſynas fore gratiſſimas, quæ in veſtrum Monaſterium veſtramque familiam conferrentur. At ego, inquit Cœnobiarcha, iſtum libens viderem laudatorem & Pro-

curatorem nostrum, acturus pro beneficio meritas gratias. Euocatur iussu Reguli Vulpius Oeconomus. qui primùm non inueniri: mox inuentus tergiuersari: alia fingere negotia, quæ deserere, aut minimum intermittere non queat: aliàs auditurum, & præsto futurum, si quid eum Monachi iuberent. Ad extremum Domino imperante, ac moras increpante subtristis comparuit. Nec ille quicquam fefellit sanctum Cœnobiarcham. qui Dæmonem illico agnitum obtestatus est, vt palàm fateretur, Quo consilio Principem fuerit hortatus ad Monachos illo studio illaque munificentia complectendos. Respondit quod verum erat, execratione coactus, aliàs fraudis & mendacij pater: Malignitas mea, inquit, inuidiæ stimulis agitata mihi persuasit, Si Castitatem atque Constantiam vestram expugnare vellem, atque adeò funditus euertere Pietatem, non alias admouerem machinas, quàm Luxuriam in cibo & potu largiorem, lautiorem. Id mihi bellè succedebat, nisi tu potissimùm, & similes tui (ah nimium maturè) deprehendissetis. Inter hæc dicta horrendùm strepens in auras recessit, singulorum animos relinquens admiratione ac stupore defixos.

Tertium sequitur *Exemplum*, breuius dicendum, at non minoris æstimandum, sicut ego mihi persuadeo. Est Pataui (quod scitis) Templum religiosissimum, idem-

idemque pulcherrimum S. Antonio (qui ex hoc de Padua dicitur) consecratum. In eo per Quadragesimam pias habebat Conciones Franciscanæ Familiæ Theologus valde insignis, at non valde insignis Orator. vt hæc duo in vnum rarò coeunt, idem optimè vt dicat, qui optimè sciat. Habebat tamen per illa tempora singulis diebus audientiam admodum frequentem: illo autem die frequentissimam, in quo erat disputaturus de pœnis Inferorũ. sed accidit perincommode, quod iam iam conscensurus in suggestum, subito cordis deliquio correptus, inter bracchia comitum lapsus est semianimis. Fertur in cellam, lectulo creditur, fomentis leuatur Medicus arcessitur. qui curationem aggressus, morbum nec periculosum, nec diuturnum fore pronunciat. illum tantummodo quiesceret diem, omnis exortem laboris, molliter & calidè recumbens: postridie sanum lecto surrecturum, & ad Conciones rediturum, si modò vellet. Ea res vt Sodalibus non mediocre solatium, ita homini solicitudinem curamque importauit: recordanti quantam pridie expectationem illius Concionis commouisset, & nunc audienti quantus ad Ecclesiam populus confluxisset. Vtinam, inquit, meam vicem in præsens aliquis vestrum obire vellet: potestis enim sinè dubio doctissimi & optimi Sodales. Me nimium excruciat frustra fore promissum

meum,

meum,& populi ſpem. Ad quæ alijs nihil reſpondentibus, alijs alia cauſantibus, & planè omnibus feſtinationē improuiſam. Sodalis eiuſdem ordinis ac familiæ ſuperuenit, peregrini habitum gerens. qui quidem à Gallia vſque deſcēderat in Italiam, religionis cauſa petiturus Sacram Ædem Lauretanam, viſuruſque per eam occaſionem Italiæ Vrbes magis inſignes. Vir erat habitu corporis grandi & erecto, frontem ſubrigidam, oculos vibrantes, & ceterum os eximiè candens, barba nigrior, eademque prolixior honeſtabat. Si animi bona reſponderent, doctrina, integritas, copia dicendi; videbatur egregiè factus ad concionandum. Cœperat ergo non nihil ſpei affulgere Magiſtro Barnabæ (ſic vocabatur) decumbenti, vt ſuas partes ſuſcipere poſſet, & propter pietatem non recuſaret nouus Peregrinus. ADEO cuique perſuadet amor ſui, facilia fore ad impetrandum, quæ ſibi expediant. nec aliquid penſi habent quid illos deceat, qui rogantur. Audacter igitur ientaculo prius oblato, iam calfactum refectumque obſecrabat, & ceteri pariter inſtabant, vt illam populi frequentiã, quę iam accubuerat, diuini verbi epulas expectans, oris ſui diuitijs ſatiaret, nec pateretur ieiunos domum redire, quibus mora famem duplicauerat. Excuſare ſe Peregrinus, quod itineri, non Concioni apta ſecum exportarit. plus biennium eſſe cùm tacuerit, nec ad populum verba

feccrit

fecerit longo ac difficili morbo detentus? Alia his super-addere multa in speciem honesta, quæ nemo non iniquissimus reprobare ausus foret: verum enimuero tam eleganter, & tam efficaciter exponere suam excusationem, vt hæc ipsa hominem accusaret, pulchre detegens illius & eruditionem & eloquentiam.

Quid multis moror, & Sponsionis oblitus perdo in superfluis sermonem? Inducitur, pulpitum conscendit, audientiam contemplatur, nec solùm ex arte cunctando, sed etiam se ostentando expectationem sui facit. Cum magno igitur Auditorum studio, silentio, attentione ingressus ad dicendum, prope horis duabus horrendum illud, ac flebile argumentum insigniter perorauit. Vidisses inter concionandum quibusque vbertim fluere lacrymas; & altè tracta suspiria os perrumpere, Cælum ferire cum singultibus, & fremitu querelarum. nec huiusmodi pectoris motus tantummodo plebs, & opifices, & mulieres patiebantur: sed quanto quisque doctrina instructior, dignitate honestior, grauitate constantior eminebat; tanto minus temperare sibi posse videbatur, & resistere dolori. cuius crebra indicia cor saucium foras trudebat per animi fenestras. Puto non iniuria, cruciatibus damnatorum audiendis illos altiùs ingemiscere; quibus vel expressiùs innotescunt propter rerum scientiam; vel horribiliùs se præsentant

tant

tant propter huius vitæ commoditates. Peracta concione omnes discedere lacrymabundi, & tanquam saucij ferentes lateri hærentem sagittam. nouus Concionator ab omnibus sodalibus, & à Barnaba super ceteros admiratione affici, multoque in honore, ac pretio haberi. Eum vero paulo post abire properãtem, ac iam sese itineri credentem in ipso Monasterij vestibulo Vir confrater è numero laicorum forte occurrens diligenter & curiosè cœpit intueri. Nec fefellit sanctum hominem facies simulata, & corporis habitus ad Religionem deuotionemque compositus. tamen sic intra se. Hic profectò Diabolus est. non mentitur aut fallitur Dominus, qui eum mihi aperit reuelatque. tum video ego met frontis cornua, barbam petulcam, manus vngulatas. Est igitur sinè dubio Dæmon, idest generis humani hostis sempiternus. At enim obsecro, quæ illum noua insania, quæue intemperiæ agitant, vt hodie venerit sua sponte ad pietatem, & cultum Dei nobis persuadendum? Quos vtique ille saluos non vult, nec aliud vel ardentiùs expetit, vel sagaciùs inquirit, quàm perniciem nostram. Ego omnia credere malo, quàm ipsum benè cupere mortalibus, præsertim Christianis, præsertim Religiosis. Non potest. Audebo Christe IESV, in tuo nomine ad tuam gloriam.

HEVS Peregrine, Per illum Dominum, qui

qui te creauit ingratum, perfidum, rebellem; perque illum Sanctum, cuius & habitum, & Religionem mentiris obtestor te, vt palàm fateare, Si tu es Diabolus, & qua fraude huc accesseris prædicatum nobis pietatem, à qua tu longissimè abes, & nos velles abesse nihilominus. Iam sodales plane omnes, & multi præterea Ciues exterique confluxerant; cum Frater Peregrinus ad primum quæsitum non verbo, sed facto respondit hominem exuens, ac se in Diabolum refingens. qualẽ vulgo faciem Dæmonibus affingunt alatam, caudatam, manibus pedibusque vncinatis, cetera Phaunis & Satyris persimilem. Cuius aspectum alij subita formidine correpti stupentes diffugerunt; alij magis constantes intueri, & contemplari curiosiùs cœperunt. Ad hos ille (sic Numen cogebat) Vos, inquit, appello sapientes & artium Magistros, qui rem minimè mirandam, sed vulgarem, communem, vsitatam non intelligere aut capere videmini. Concio mea ingentem sub animo tumultum vobis alijsque suscitauit. Fidem fecere suspiria & lacrymæ, quas identidem cor æstuans liquabat, & largam pluuiam vento agendam permittebat. Ex eo factum, vt prope singuli domũ redierint, nouos mores, nouam vitæ rationem, nouum denique hominem meditantes. Quis me stultum non dixerit, cum Vineta cæciderim egomet mea? & his venerim latum

sup-

ſuppetias, quos meum eſt inuadere, perſequi, extinctos velle? Hoc videlicet fatuis videtur: ſed illi aliter æſtimant, qui habent ſalem. Quid enim? quid inquam ſuſpicamini vel vobis profuiſſe, vel Inferis obfuiſſe concionem meam? Scilicet: eſt periculum nè multi à nobis deficiant, & frugi eſſe incipiant, quibus vix templo egreſſis pectus refrixit, ſiccatæ lacrymæ, & tota illa tempeſtas quàm facilè turbauerat, tam repente in malaciam vertit. Non igitur quicquam ex eo aut acquiritur vobis, aut adimitur nobis. Quid ſi oſtendero: Sed reprimam me, hoc euulgari non oportet. E re hominum eſt, ſi ſciatur: contra illos, ſi taceatur. Et cupio ego quidem tacere, ſed Numen imperioſiùs eloqui cogit, compendio dicam. ANTE horrendum ſupremi Iudicis tribunal, ſingulis in priuato, vniuerſis in publico non ſolùm acer accuſator, ſed etiam locuples teſtis accedam rebellibus obſtinatis, quos à via Inferorum nè à me quidem prędicata ſupplicia reuocarunt. Vides Domine (ſic exclamabo) quàm ſinè omni excuſatione pertinaces in ſcelere vixerunt, quibus corrigendis, atque ad bonam frugem reducendis hoſtes quoque operam contulerunt. Ego ego (nè diſſimulent) quid illos agere, quid cauere oporteret, nè ad Infera præcipites ruerent, efficaciter oſtendi: quod maius eſt, etiam perſuaſi. teſtor cuiuſque conſcientiam. Qui tamen in-

con-

conſtanter ad priſtina reuoluti, vt improbiùs peccarunt, ſic atrociùs puniri meruerunt. Cum his dictis è conſpectu ſublatum, fruſtra oculis requirebant, attoniti ſtupenteſque prodigio, quod omnibus admirationi, nonnullis & ſaluti fuiſſe creditum eſt.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplum Quintum

Argumentum.

S. Menas hominem claudum, & mulierem mutam eodem temporis momento ſanat in admirabilem modum.

Clauſulam ſuperioris Exempli *mentitus Concionator, à vero Concionatore mutuatus videtur S. Ioanne Chryſoſtomo. Qui tum forte Homiliam eiuſmodi grauem atque flexanimam apud quoſdam habuiſſet, quorum ille ingenia & mores pulchrè callebat: commodùm hortatione perorata, totus in lacrymas effundi, ac pectus plangere cœpit. Rogatus cauſam; Pœnitet me, inquit Sanctus, quòd hodie fuerim concionatus, & vos ad virtutem impellere ſtuduerim ſic efficaciter, ſic inſtanter. Prauideo enim (atque vtinam falſus prauiſor ſim) fore aliquando, cum ante ſupremum tribunal veſtra erit per meam Contionem cauſa*

dite-

deterior, egoque cogar aduerſum vos ingratum mihi, ſed iuſtum tamen ac debitum dicere teſtimonium. Qui ſi ſaltem intrinſecus & ex-animo compuncti veſtras culpas ante obitum eidem Iudici ſponte fateremini, & veniam pacemque comprecaremini: duo illa magis tremenda iudicia, dico alterum ſingulare poſt mortem; alterum generale poſt reſurrectionem, longè aliter ſe haberent. Accuſet Diabolus factum: Sacerdos teſtetur confeſſum: Angelus inſtet remiſſum erit tibi pro ſupplicio præmium ò non admittens, vel ò admiſſi pœnitens peccator. Alia huiuſmodi, quale Oris Aurei flumen eſt, ad mortales in viam reducendos fundebat idem ſanctiſſimus, idem doctiſſimus Archipræſul. Ecce autem ab latere Caporalis, *quem quintus narrandi, hoc eſt vltimus ante cenam locus manebat. &* O, *inquit, belliſſimi* Sodales, *quis noſtrum excuſari ſatis poterit à via non calcata virtutum, quam etiam hoſtes docent? Me iſta ſanè pluſculum afficiunt, quæ coacti Dæmones minantur, quàm quæ vltro admonent & rogant ſapientes. Verùm enimuerò nimium diu verſamur inter Dæmonas, aut Dæmonum ſimilimos latrones. Iam ſaxo ab iſtis ad Sanctos Viros, hoc eſt ab Inferis ad Cælos reuertamur.*

DIocletiano & Maximiano imperantibus, non ſolum immaniſſima cædes Credentium in Chriſto, ſed etiam impia ſtrages Templorum, ſacrarumque imaginum facta eſt per omnem Orbem Chriſtianum. Alexandria potiſſimum, & finitimæ vrbes in Ægypto, cum pagis villiſque

lisque adiacentibus fidelium sanguine redundarunt. Inter hos valde præcipuus memoratur S.Menas Ægyptius, cuius insigne Martyrium refert Simeon Metaphrastes apud Viographos Sanctorũ, qui diem Martyrij ab Ecclesia dicatum nominant Postridie Cal.Nouembris. Ei verò post mortem tyrannorum, succedente ac suadente Constantino, Ægyptij Templum ingens ædificarunt, in eoque Martyris Reliquias colebant, Miraculis in dies pluribus & maioribus insignes. Recenset hæc prҿter ceteros locuples auctor Timotheus Archiepiscopus Alexandrinus. Inter quҿ vnum mihi hodie vesperi narrandum suscepi, quod existimo non propter factum ipsum commune huic Martyri cum multis, sed propter inusitatum, ac planè contrarium faciendi modum fore admirabile. Vsus fuit per ea tempora fidelibus infirmis non interdiu dumtaxat aras & sepulchra visitare Sanctorum, sed etiam in Templis ipsis pernoctare sanitatem implorantes. Horum longè plurimi apud S.Menam dies noctesque commorati quidam celeriùs, quidam tardiùs expulso morbo incolumes domum reuertebant. Quodque in talibus frequenter accidit, fieri autem semper deberet; singuli per Sanctum curati, cum robore corporis bonam mentem, & studium pietatis insigniter auctum referre dicebantur. Erat propterea in Templo ægrorum cuiusque generis ingens turba,

lectulis vndecumque dispositis diurnantes, & pernoctantes. vt iam non templum diuino cultui exercendo, sed xenodochium ægris curandis factum videretur.

Hac tanta miraculorum fama longinquas etiam oras peruagata, vir quidam ab infantia manibus pedibusque fœdissimũ in modum distortis, laceris, attractis, vt non ingredi, non in vestigio stare, non manu quicquam efficere posset, cũ Templum aliquot passuum millia distaret: propinquos atque amicos rogare cœpit, vt se quàm primùm eò deportandum curarent. sperare se, si vera essent, quæ de Sancto fama loquebatur, haud dubiè cum ceteris sanatum iri: & inde paulo post suis pedibus domum esse reuersurum, vt pariter alij (quanquam non sic affecti) rediisse dicebantur. Irridere omnes, atque illudere Mancoclaudo, si crederet morbum adeò inueteratum, iam olim desperatum tam facilè posse curari. Quanquam enim non negabant ascendere super vires naturæ vim cęlestem, ab eo scilicet manantem, qui & ipsam fecit naturam: tamen quia illum non nimis deuotum ac pium esse intelligebant, persuadere sibi non poterant, vt per Sanctum Virum eo tam insigni, ac singulari beneficio donaretur. Ad extremum quotidie magis instanti morem gesserunt, ad Templum deportarunt, in lectulo collocarunt. Cubabat ex-aduersum femina pariter clauda; sed ea etiam muta;

vtram-

vtramque à Matris vtero secum afferens labem. Eis verò fideles comites in Templo famulabantur, mulieri aliæ mulieres, homini homines. illa silens ex intimo animo, hic etiam supplicibus eisque continentibus verbis sanitatem à Sancto implorabant.

Hic Mancoclaudus, hæc Mutoclauda (sic cogor appellare, neutrius proprio nomine cōperto) fuere in illo Templo complures dies penitus incassum. Neutri adesse Sanctus deprecator, neutri à Cælo subsidium: vt iam spes quoque deficeret fatigatos. Ac femina quidem quid secum animo volueret, & quam in partem acciperet sperati beneficij frustrationem, omnino ignoramus. de Homine impatientiùs moram ferente, hoc insuper traditum est. Post aliquot dierum inediam, & preces solito longiores intentioresque, incidit viro agresti ac rudi litterarum Cælo indigna suspicio, nè se Sanctus Martyr curare non posset. ea plurimum inualuit ex eo quod videbat identidem curari alios leuioribus morbis affectos, quorum aliqui, domum incolumes redibant, aliqui Sancto gratias agentes eidem Templo inseruire perseuerabant. se nimirum reijci à Sancto, & à Cælesti liberalitate putabat excludi propter sanandi, aut leuandi desperationem. Igitur temperare sibi non potuit, quin die quodam in hæc verba prorumperet. Falsa esse oportet Beate

Martyr, quæ de tua Sanctitate ac potestate fama vulgauit. Fecisti olim tu quidem ingentia miracula: non inficior. loquuntur ipsa per se. Verùm enimuerò ablata est tibi, vel iam consumpta facultas faciendi ampliùs. Ego nimirum, & puto mecum mulier muta fuerimus tardiores. Iam exhaustus est fons talium gratiarum, vnde alij felices quia priores non solùm satiati, sed ebrij recesserunt. Nos pigri sitientes arentesque dimittendi sumus.

Talia cum infelix murmurans quereretur, & altè tracta suspiria voculam interpellarent, vltra mediam noctem miseratus hominem somnus, omnem illam ægritudinem sopore inuolutam sepeliuit. Ecce autem in somnis homini Sanctus Martyr vultu subirato, Quid me, inquit, incusas homo insolens, indoctus? Parce mihi, Pater Beatissime, respondit Infirmus. Impatiens morbus, & vel frustrata, vel dilata spes valetudinis in illam linguæ vanitatem emersere. Ceterum confiteor, Pater, me posse abs te, si velis vsum omnium recipere membrorum. Posses etiam fato functum remittere ad fruendam vitam, vt scio alios fuisse remissos: adeò tibi tuæque deprecationi supernũ Numen indulget. Tu verò, subiunxit Martyr, nunquam sanabere, nisi meis dictis audiens fueris. Euge, Parens humanissime, impera facturus quid sim: continuò exequar. Huic iterum Sanctus, Vides, inquit, sin-

gulos

gulos in propinquo cubantes alto somno consopitos. Enitere quantulum potes, atque age te contra lectulum Virginis mutæ, in eoque apud illam recumbe iacentem, dormientem. Quibus dictis illico Sanctus euanuit, homo ad se rediijt. Qui secum recogitans Oraculi mandatum, pudore ac tristitia confusus, Hem, inquit, Sancti beneficentiam! quia me sanum facere aut non potest, aut non vult; impellere conatur ad facinus. An mihi fortasse Diabolus illudit? Vt illum audio personas induere Cælestium, & vltro factum fucum venire mortalibus. Certe imperium tale ab inferis potius, quam à superis videtur. Ac si à fructibus vnumquemque cognoscere par est, vt nos olim Saluator docebat: hos profecto in Plutonis & Proserpinæ hortis inuenias, non in Paradiso cunctarum deliciarum. At enim faciamus verum esse, quod vtique aliter mihi persuaderi non potest; vt vere S. Menas Ægyptius Martyr; ille inquam Sanctus Menas, cui hæc domus consecrata est, mihi toties inuocatus præsens præsenti affuerit. faciamus hoc etiam à quo nimiũ mens abhorret, vt illa sit mei mali medicina, quam docet suadetque Sanctus. Hem quid ego hic efficiam miser? Ibo scilicet ad Mutam, quæ me accusare non poterit, nec alio fugere pariter clauda. Vitium illi afferam, & referam mihi salutem. Felix mercatus, in quo res emitur optatissima: pretium

verò soluitur huiusmodi, quod etiam gratis dare gratum sit, ipsum sibi & pretium, & merces. At enim quid cogito stultus, quid molior impius? Virginem stuprabo, quam me tangere fas non est, & peragam in Templo flagitium ante aras, ante ora Cælestium. Non faciam profectò. non si hæc etiam perdere habeam, quæ supersunt, oculos, & linguam. Malo animæ, quam corporis salutem: Æger domum reportabor: ac non finè solatio tamen. dicar pudori, dicar pietati pepercisse. Mulcebit animum memoria, quòd prætulerim valetudini honestatem, & iniurius aduersus Sanctos esse noluerim, ab his etiam ipsis rogatus.


Hæc secum Mancoclaudus. Cuius nequeo satis intelligere rationem & varium ingenium. Nunc rudis videtur leuium atque vulgarium rerum: nunc vero etiam peritus obscurarum. Sanctos Dei, & Sanctorum iustitiam, liberalitatem, charitatem confitetur: & eosdem putat aliquid posse suadere aut imperare, quod æquum ac pium non sit. Ergo tenax propositi sui, certusque prius semper iacendi, quàm cum scelere resurgendi; ab Orationibus tamen diurnis nocturnisque non cessat. Sed proxima nocte sub eadem hora idem videt oraculum, idem audit imperium. Minatur præterea Sanctus, nisi obsequens dicto fuerit, haud diu fore cum illi grauius aliquid contingat. Cum hac voce

statim

ſtatim experrecto viſum homini à cælo venire, ac animo incidere nouum conſilium, noua ratione munitum. Sic enim ſecum cogitare cœpit: Qui hoc mihi ſuadet, imo iam imperat, vt faciam, mineturque niſi fecerim, ſine dubio amicus eſt Dei, Sanctus Mena Martyr Ægyptius. Non poteſt Sanctus imperare peccatum. qui ſi iam imperet, peccatum illud non erit. Si mea ſponte irem ad puellam, & exponerem tanto periculo animam; vtique temeritatis atque libidinis iure accuſarer. nunc Cælo mittente, ac Sancto iubente; nihil mihi videtur eſſe metuẽdum. Ibo ego quidem promptus atque alacer, non vt peccem: minime iſtud in animo eſt mihi: ſed vt Sancto morem geram, ei de me meaque anima curam relinquens. Nec mora: cum iam nox properaret in diem. vbi quieſcere ſingulos vel ipſe animaduertit, vel certè ſperauit propter Sanctum; pedetentim lectulo egreſſus, & ſpatio intermedio (vt ſolebat) non cruribus, ſed clunibus emenſo; ecce tandem conſiſtit Mutus ante Mutam. Puto mulierem ſomnus iam laxior & languidior tenebat: qualis paulò ante lucem natu grãdes aſſicere ſolet in vigiliam ſua ſponte feſtinans. Itaque ſtragulis dumtaxat paulùm commotis remotiſque ſtatim experrecta, quæ antea nunquam fuerat locuta tunc altum emiſit clamorem: O impudens flagitium! ferte opem pia turba: comprendite ſcele-

ſtum, & tenere inſidiatorem pudicitiæ. Ibi vir primùm monſtro conterritus, deinde verecundia ſuffuſus, poſtremò etiam metu ac formidine perculſus, opinari ſe mortuum fore planiſſimè. quandoquidem nec pedes ad fugam capeſſēdam, nec manus ad vim repellēdam ſibi eſſe cernebat. Verùm enimuerò mortem expectanti (res admiranda) monſtrum monſtro, vel potius monſtra monſtris cumulantur. nitens trudere corporis molem, vt in more habebat, viam verrens ad ſtationem ſuam; ecce ſubito ſoſpes & incolumis ſurgit in pedes. bracchia quoque robur induunt, & ſuos manus explicat digitos vt adſpectu concinnos, ita molliter flexibiles, atque ad vſum paratos. Mutæ ſimiliter eodem inſtanti, vt os ad ſermonem, ſic genu ad greſſum laxatur: ſurrexitque ſuis pedibus domum reditura, quam illuc ægrè deportarant iumento impoſitam. Res quemadmodum geſta erat ab vtriſque commemorata, in litteras mittitur. Illi quampluri-mis Deo præpotenti, & Sancto Menæ deprecatori actis gratijs, in patriam reuerſi ſunt.

Multa ſuper huiuſmodi miracu'o dicta, reſponſa, diſſerta inter Sodales *fuere: donec pueri rurſus ad cenam: imo & aliqua inter cenandum.*



DECA-

DECADIS SECVNDÆ

Pars Secunda.

Exemplum Sextum

Argumentum.

Inclytus Concionator nobilem Matronam perditè amans, ab ea interficitur. Res ab Vrbis Gubernatore prudenter occultata.

Vbi cenatum, ad ignem reditum, & ex more consessum est; aliquandiu sua sponte silentium mansit. Credo erant solito magis fatigati, & ante cenam, & super cenam de Mancoclaudo, & Mutoclauda differentes. Vnus tantùm quieuerat, & se quæstioni non interposuerat Archelaus: *ruminans animo* Exemplum *quod valde illustre, atque mirandum referre constituerat, id ego multis post annis transcriptum audio fuisse, & fortibus testimonijs confirmatum inter Magicas disquisitiones ab Antonio Martino Delrio Iesuita. Sic igitur* Archelaus.

PAtrum memoria fuit in Hispania nobilis Concionator, cuius nomen, cognomen, Religio, patria tacentur honoris

ergo. Hic cum per æstatem singulis festis diebus in amplissima vrbe ad populum verba faceret, vt mos fert in Hispania, quem quidem non diu est, cum Galli etiam, & Itali vsurpant: in tantam simul eruditionis, simul sanctitatis opinionem deuenerat, vt ea gratia Monasterium illud, & huius conclauia in primis virorum doctrina & sapientia illustrium pedibus tererentur..siue illum præsentes colere, siue aliquid ab eo sciscitari, siue tantum aspicere vellent, facie, oculis, toto corporis habitu verendum. Super ceteros feminæ honestiores cum illo in Templis & sacellis priuata colloquia miscebant: circa pietatem, aut rem domesticam, aut liberorum educationem, aut huiusmodi suas curas consilia petentes. Ille autem (qua non solum sapientia, sed etiam humanitate præstabat) modesto vultu excipere singulas, libens auscultare, documenta præbere, ad patientiam exhortari, omnesque ab se dimittere voti compotes, aut saltem non mediocriter curis alleuatas. Neque verò (quod aliquis fortè suspicetur) illa tam frequens, tam publica, tam intima cum feminis familiaritas vllam infamiæ vmbram posse offundere videbatur, castissimis viri moribus, & vulgo creditæ sanctitati. Verùm enimuerò stolidum atque insanum vulgus est: vulgum dico non opifices tantum, & homines agrestes; sed hos etiam pullatos, ciuiles, honestos non

multùm

multùm tractatione litterarum, & parùm vſu rerum peritos, qui quemquam ſanctum aut pium, aut omnino virũ bonum credere poſſunt, ſi quis domeſtice verſatur, & priuatim colloqui amat cum feminis alienis, præſertim ſpecioſis & venuſtis: ſat erat dicere Iuuenibus. Nec illud minuit ſuſpicionem, quod in Templo, quod in Sacrario, quod in loco ſanctiore. Auget potius in pleriſque apud cordatos malitia pietatis pallio tecta. Videntur enim ad hæc agenda Eccleſias legere, vt Religionis obtentu ſecuriùs peccent: nempe ſic opinantes, haud quemquam ſuſpicaturum aduerſus Deum in Dei domo, à Dei miniſtris conſilia iniri. parit enim peccati ſecuritatem illa peccandi (vt ſic dixerim) Improbabilitas. Præpoſteri homines! qui loco ad placandum Deum parato, abutuntur ad irritandum. digni medius fidius, quos duriore flagello Supremus Æditus exturbet, quàm qui olim in Sacra Æde forum fecerant mercium venalium. quo eſt turpius Diabolo animas Chriſti ſanguine redemptas, quàm ſibi ſuiſque ad vitam neceſſaria, ſeu commoda mercari.

Sed ad noſtrum reuertamur Concionatorem, qui feminarum conſuetudine liberiùs vtens, ad inſignem matronam facie pariter, & corde honeſtiſſimam oculum adiecit. Lucretia erat nomen: priſcæ illi Romanæ pudicitia par, conatu par, euentu felicior. Huius flagranti amore cor-

reptus Concionator, cùm dies noctesque paulatim confici, & ad interitum labi videretur; non ad ea remedia confugit, quæ vulgò alijs suadebat, quibus facilè amor extinguitur, aut nascens, aut in cunis, inediam, vigilias, flagella, & preces magis crebras, magis intentas: minimè ad istæc homo intemperans, & iam libidinis mancipium suæ: sed potius ad blanditias, ad fraudes, ad insidias, ad vim denique inferendam miser conuertitur. Primùm cum femina ipsa hilariùs, liberaliùs, frequentiùs, quàm consueuerat, fabulari. Nec abnuere castissima mulier opera perfectæ charitatis existimans, quæ substruendo ingenti flagitio dolosus faber admouebat atque sternebat fundamenta. Deinde ad facinus minore negotio moliendum efficiēdumque, in mariti amicitiam intimamque consuetudinem se insinuat, callidè prius obseruato, quibus ille artibus & studijs deditus esset. Vir potissimùm rem antiquariam colebat, & Romanorum Græcorumque historijs mirificè capiebatur. Ad quam rem magno illi & oblectamento, & adiumento erat Concionator: huius etiam generis litterarum homo peritissimus, & multum iudicio, multum facundia, & gratia valens. Itaque nullus propemodum dies præteribat, quin aut Monachus domi apud illum, aut ille apud Monachum in Monasterio diuersarentur. Sæpe apud Collaltum (hoc viro erat nomen

men), post longam iucundamque meridiationem vnà cenabant in aula, in porticu, prope fontem, sub pergula, in hortis nunc vrbanis, nunc suburbanis: Lucretia simul accumbente, simul disserente, non rudi artium meliorum, & fandi copiosa. Quæ quidem congrediendi occasio priuata, cùm ad publicum & id maximè liberum genus vinẽdi accederet, quod tota ciuitate omnes impunè vsurpabant seculares, ecclesiastici, matronæ, viduæ, omnis generis puellæ: ingens Monacho commoditas fuit cum Lucretia vbi vellet, & quamdiu vellet, colloquendi: tum Viro absente; tum alijs etiam arbitris remotis.

Igitur die quodam liberaliùs atque dicaciùs cum Matrona in Templo fabulatus, discedentem rogauit, vt se postridie ad certam horam domi expectaret, graue negotium cum ea commodiùs acturum. Illa nihil suspicans mali, sedens in porticu expectabat; suis interim intenta domesticis negotiolis: cum ecce solito hilarior atque alacrior Ecclesiastes. qui præmissa tanquam pro exordio aliqua iocandi libertate, ad extremum ausus est de amore in illam suo facere mentionem: inde ad preces, ad supplicationes, ad obtestationes conuerti. opportunam incidere absentiam mariti: & fortè aberat illo triduo aut quatriduo non rediturus. non deesse sibi vnde referat gratiam, arcana in primis

miranda, nemini adhuc nota mortalium. Ad quæ verba ſtetit primùm velut extra ſe poſita mulier, diu impotens reſpondendi. Mox fugitiuum animum ira reuocante, ſic excanduit, vt feroci vultu ac minacibus oculis Monachum intuita, in hæc tandem conuicia eruperit; O, inquit, ſceleſtiſſime bipedum hypocrita! tu nè auſus tam nefariè, tam impudenter de ſtupro appellare honeſtam matronam? quæ neſcio equidem cur abſtineam manus, nec te fuſtibus multatum domo iubeam extrudi per forum ad tuos. At ſi poſthac huiuſmodi quicquam ex te audiero, nè ſpera inultum tibi futurum. Supplicij moram grauitas duplicata compenſabit. Quibus alijſque conſimilibus minis nequaquam territus, ipſe quoque in vacuum minari ſolitus Concionator: & ſi tunc quidem non-nihil viſus commoueri, ſermonem alio conuertit, ac de rerum genere diſſimillimo fabulari cœpit; tamen alterò & altero die, cum alijs conſequentibus id ipſum poſcere frequentiùs atque inſtantiùs non erubuit. vſque adeò donec infandæ procacitatis impatiens matrona, fors etiam verita nè cui familiarium res antea ſuboleret, indeque ad mariti aures manaret; cunctandum ſibi ampliùs non putauit, quin ipſa vltro proderet flagitiū, & de toto negotio certiorem faceret Collaltum. Qui quidem re audita, & vxore collaudata, cuius caſtitatem & fidem pla-
niſſimè

nissimè cognitam perspectamque habebat: Volo, inquit, cum te iterum iterumque ídem rogauerit, paulatim leniùs atque humaniùs respondeas, donec tandem instanti promittas te in illius potestate futuram. Veniat ad certam diem, imò ad certam noctem, ad certam horam, sinè vllo comite, per ancillam introducendus. Cetera ego scilicet expediam. probare vxor consilium: hoc non probare, si Monachum opprimere armis intendat: cum satis superque videatur fore, si tantum fuste contusus foras explodatur. Eam verò iubet maritus præstare diligenter, quod admonita est. vindicta vt honestatem cum salute defendat, id scilicet curæ sibi futurum.

Nox facinori decreta, & per feminam Monacho promissa Septembrium Calendarum, post vigiliam secundam. locus lectus ædicula inferior prima occurrens intranti. Cubiculum erat ad læuam interiùs, in quo Collaltus & duo ex fidelissimis amicis cognatisque ferro stipati latebant: Ecce ad condictam horam bonus Concionator, habitum gestans militarem, pileo cristas iactante, latus breui gladio succinctus, & nullum Monasticæ simplicitatis vestigium præ se ferens. Qui commodùm intro admissus iubetur tantisper sedens præstolari dum femina ex ædium cenaculo altiore ad illum descendat. mox ibi futuram, nec dictum mulier morata. iam

descén-

descendentem, & callidè strepentem, vt vindices in occulto stantes commonefaceret, Monachus rustica, vel potius belluina libidine concitus, abiecto pallio, tenere atque amplexari conatus est. Repulit honesta femina procacem agrestemque amatorem: & primùm excreans inconditis atque ambiguis vocibus; dein exclamans apertis questibus defensorum in propinquo latentium subsidia implorat. Nullus tamen comparebat: ancilla perterrita refugerat, & se tenebris in altiore cubiculo crediderat: circa feminam & Monachum luctantes mirum silentium. Obstupescere mulier, & cùm questibus obiurgationes, conuicia, imprecationesque confundere. O Vir inclamat, ò fratres in abdito locati, districtis gladijs ad me vindicandam, & adulterum de medio tollendum; quid cunctamini segnes, infidi, proditores? Eia obsecro bestiam imbellem, & inermem, tantummodo crudelem, tantummodo bestiam securis ictibus inuadite, ac mediam transfodite. certum victoria spondet triumphum, perpetuò mansurum. heu heu me miseram nemo prodit: ego prodita sum. ades Virgo clementissima Cælitum Regina. cuius diem natalem voueo post hac eximium mihi futurum, & præcipuo cultu venerandum. Tuere Domina pudorem meum, & excusa simplicitatem: si me scis non mea sponte, sed coniugis imperio in hoc esse adductam

discrimen

discrimen. Talia orantem nequissimus Ecclesiastes nunc blanditijs demulcēs, nunc promissa exigens, nunc mortem interminans, adigere festinabat, vt sibi obsequens esset: futuram nihilominus vi coactam, & ingratijs.

Vim igitur parantem atque vltrò manus inferentem cum ab se reicere, ac diuellere iam lassata non posset; fortè fortuna inter colluctādum dextera manubrium pugionis incurrit, quem recens miles læuo lateri hærentem gestabat, eductumque partim iracundia & furore, partim periculo animos faciente, in pectus ab se pendentis, ac nihil tale metuentis impingit: Vltrix fortunata! quæ hostem suum magis capitalem, adulterij blandum suasorem & impulsorem, Cor inquam medium transfixit, & inde statim miseram animam, quò erat digna, in tartarum ablegauit. Mox in terram delapso cadauere, mulier Cælo agens gratias, in proximum conclaue furens erupit, factura coniugi, & alijs excubitoribus grande conuicium; quòd se contra fidem datam reliquissent solam, imbellem, imparem discrimini futuram. Sed ò rem dictu mirandam, singulos altissimo somno consopitos offendit: vt ne tunc quidem commouendo, stringendo, fodicando excitari vnquam potuerint. Stupescere mulier, quòd animos in rem tantam cogitatione defixos intentosque somnus inuaserit: magis obstupescere, quòd

quod tam arctus, tam insolubilis. Ergo iterum iterumque corporibus frustra pertentatis, & villicatis; cùm penitus nihil sentirent, hoc tantùm à cadauere iuxta posito differentes, quod illi spiritum naribus efflarent, hoc iam efflasset: reliqua cogitatio erat de mortuo vel abscondendo, vel vspiam sepeliendo, vel aliquousque in viam extrahendo, quantum ab se suisque penatibus suspicionem cædis amoueret. Hoc secum ipsa reputanti, & cum ancilla deliberāti, quam vnam adhuc trepidam facti conscia habebat; hoc tertium magis expedire ac minus periculi præ se ferre visum est. Nox erat intempesta & iam properans in diem: fuscum vndique & obscurum cælum: fauens castitati Diana, suum occidua celabat argentum: nec aurum stellarum radiare nubes intermediæ sinebant; nisi quantulum trahendi & certo loco exponendi ponderis viam doceret. Huc igitur partim subiectis bracchijs nitentes, partim per pedes altera trahens, per caput altera impellens, cadauere tandem exportato, fortes feminæ domum regressæ, atque intus clausæ: quanquam valde sollicito ac suspenso animo erant; tamen oculis vigilia ac membris omnibus labore fatigatis, cum lecto se credidissent, in multam diem experrectæ non sunt: vt postridie vicinis admirationi fuerint, prope in prandij horam latentes, non ostia, non fenestras aperientes,
nihil

nihil vſpiam ſtrepentes molienteſque.

Sed iam ad Monachum alio ſopore oppreſſum, & in media iacentem via reuertamur. Cuius cadauer manè ante liquidam lucem repertum, atque (vti mos eſt) Magiſtratibus indicatum, cùm propter habitus inſolentiam nemo agnoſceret; ſagacior quidam de numero iudicum, qui Monacho erat vſus familiariter, cùm vel agnouiſſet, vel agnoſcere ſibi viſus fuiſſet; ad Gubernatorem Vrbis rectà contendit, atque illi omnibus arbitris remotis, Mi Domine, inquit, offenſum in via cadauer, ſi dumtaxat Monachi habitum præferret, iurarim eſſe inclytum noſtrum Concionatorem. Sed Viri ſanctitas, grauitas, auctoritas huiuſmodi aliquid credere de illo, aut etiam ſuſpicari non ſinit. Vix cogitare animus audet quantùm dedeceat ille ornatus illam perſonam. Ergo forſitan alter eſt illi ſimillimus ex eadem familia, mihi cognitus, homo parùm ingenio, parùm iudicio & litteris valens. Hunc ſuſpicor fore omnino, niſi eum alius aliquis è ſeculo repreſentat nobis incompertus. Tum Gubernator æquitati prudentiam, & doctrinæ pietatem charitatemque admiſtam gerens, ante quam dies fieret illuſtrior, vulgo adhuc incognitum, & pauculis viſum cadauer in arcam imperat recondi, ferendum quò ille poſtea mandaret. Hinc rectà cum paucis ad Monaſterium. Euocatoque Cœnobiarcha; Volo, inquit,

inquit, omnes veſtros Sodales vnam in aulam conuenire, facturus apud vos aliquid verborum. Mora nulla: in cenaculum amplum frequentes conuenerunt. Rogare Gubernator, num fortè quiſpiam abeſſet. Negare Monaſterio Præfectus, præter vnum Concionatorem. Iubet illum quoque ac illum maximè acciri Gubernator. Ad cubiculum itur: fores altiùs pulſantur: nemo reſpondebat. Amoliri oſtium imperat Gubernator. Intranti cum eo Cœnobiarchæ, tum vni & alteri ex honeſtioribus miniſtris nemo prorſus obuiam eſt factus. Tantùm ſuper lectulo temere proiecta cingulum, tunicam, cucullum; ſuper abaco ephemeridas, aſtrolabia, & arcanis pictos characteribus libellos offendunt. Mirari Gubernator vnde Apoſtolum, & Prophetas, & antiquos Patres è ſuggeſto tam frequenter tonaret Concionator, quorum ſtrues voluminum ſub lecto, aut per arculas pulųis operuerat, tinea rodebat: ille autem magis in expedito haberet Gauricos, Ticones, Maternos, Agrippas, horum ſimiles permultos. Laxabatur cubiculum à fronte in ædiculam anguſtioré, cuius pariter oſtiolo reſerato (mirandum adſpectu & inopinum) cereus ab angulo ſplendebat, ſi ſineretur, paulò poſt extinguendus ſua ſponte. adeò ſemet noctu ardens conſumpſerat, vt ille ſtridens fateri viſus eſt. Credere initio Sodales ad imaginé Saluatoris
aut

aut Virginis lucere pietatis ergo accensam lampada: sed accedentibus, & curiose singula spectantibus longè alia facies se ostendit. pauimentum illic totum in circuitu belluatum Gorgonas & Sphinges, & Centauros carbone simulatos ostentabat. paries ad læuam maioribus & minoribus circulis distinctus, hinc deformes rubetas, illinc serpentibus implicitos glires ad spectandum exhibebat. etiam hominis simulacrum nudis ossibus compactum aut refictum aperuit reclusus hemicyclus. Quæ quidem aliaque consimilia satis indicabant, quibus ille artibus, & in quem finem deditus fuisset. Tunc nihil cunctatus Gubernator clausam arcam, cui cadauer crediderat, illuc asportatam iubet reddere Monachis, quem quærebant amissum Sodalem: hoc tantùm præfatus; Vos vt lubet: ego silebo.

Dum hæc aguntur, vel his potiùs iam actis, Collaltus & socij simul experrecti, primùm admirari, vnde sopor tam altus, tam longus, tam securus arduum negotium aggredi paratis. deinde cum fugatam noctem Sol radijs quasi spiculis persequens longè gentium amandasset; credere singuli à mago Monacho vim mulieri fuisse illatam, vel aliud aliquid accidisse funestius. hoc magis, quòd multo iam die præter consuetudinem nullum strepitum, aut murmur domesticū hauriebant, vbique ingens & insolitum silentium.

Timere

Timere interdum Collaltus (vt eſt amor ſuſpicioſus) ne tunc ipſum cum coniuge adulter, aut alicubi furto gaudens lateret. Mox autem Lucretiæ ſuæ caſtitas cognita & fides explorata, velut Aquilo ingruens, omnem nubem ſuſpicionum longè propulſabat & reducebat animi ſerenum. Dubio igitur ac ſuſpenſo pede in aulam cædi deſtinatam egreſſus, cum pauimentum cruore ſordidum cerneret, in varias cogitationes mente diſtrahitur. dubitat vtrum ipſe met ſomnians etiam ac non intelligens facinus occupaſſet, an feminam adulter, quia vim pati non poſſet, ferro trucidaſſet. An ſe, inquit, caſtiſſima coniux, quòd ei non ſuccurrimus, interemit, vitæ præferens honeſtatem? Vbi autem ſi ſic res acta eſt, coniugis cadauer? Quid oſtio præſidens ancilla? Num eam quoque, an eam ſolam barbarus oppreſſit? Quæ ſecum animo voluens, & ſcalas interim aſcendens Collaltus, vbi thalamum intrauit cubantem in lecto Dominam, & iuxta ſtertẽtem ancillam offendit: vtramque ſenſibus tam alto ſomno conſopitis, quàm ille paulo antea cum comitibus fuiſſet. Non putauit eſſe ſuſcitandas, illud ſuſpicans in parte, quod noctu geſtum foret, à duobus feminis vnum Monachum fortiter extruſum; illatis etiam vulneribus arbitrabatur occiſum illum, & à coniuge ſola, ſuis met armis nunquam ſperaſſet. Quod quidem vbi poſtea didicit rem

ſupra votum, & ſupra meritum ſuum cecidiſſe lætatus, primùm veniam à Deo petit ſacrilegij cogitati, vt alterum tolleret ſacrilegium. deinde gratias eidem agit immortales, quòd ſine ſuo ſcelere adulterum de medio ſuſtuliſſet, ſua pariter & vxoris, tam conſcientia, quàm honeſtate ſalua. Vnum aliquot dies arcanum ignorarunt, vnde altiſſimus ille ſomnus Collalti & comitum in propinquo excubantium. Dicunt aliqui per intimum amicum Gubernatori à ſecretis, aliqui per ipſum Cœnobiarcham pariter intimum reſciſſe Collaltum de Monachi malis artibus, & de accenſa face, cuius ardens vita ſomnum metiebatur illorum: non ante deſiturum, quam fax viuere deſijſſet: hac extincta, illum continuo ſolutum.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplũ Septimum

Argumentum.

Senex incontinens feminæ calumnijs præceps filium interimit, poſtea feminam, poſtea ſe.

Quantum fœdus Concionator reprehenſus; tantum mulieris fortiſſima caſtitas, & Gubernatoris

toris prudens piumque consilium commendata fuere. Vnum in Archelao Malatesta *haud nimium probabat, quòd occasione vnius quamlibet scelesti, tam acriter in Monachos atque Presbyteros fuerat inuectus, qui cum feminis honestis, in sacris Ædibus, publica colloquia miscerent. In quo idem plerisque* Sodalibus *visum: potuisse illud argumentum tractari moderatiùs: nè rudia ingenia ex pauculis inductis argumentationibus, imò veriùs axioma conficerent. Contra* Rex *disputabat; nulli neque Sacerdotum, neque secularium, nisi maximis de causis licere oportere, quamuis alioqui probatæ fidei, ac moribus emendatis. Hæc ad vltimum si non verior, certè cautior visa sententia. Inter hæc* Vbaldus *quem hora instantis officij monuerat; Habeo, inquit, nec ita longum, nec ita varium, sed opinor æquè mirandum & magis miserandum senis* Exemplum, *quem pariter incontinentia, & huius comes incogitantia pessum dedere.*

Ciuitas est Insubribus duodecim millia passuum Mediolano distans, quæ in vetustis lapidibus nunc Modoetia, nunc Mogontia, nunc Maguntiacum nominatur. Eam Flauius Blondus, & Leander Albertus Monzam vocant: gentem Monzanam, siue Monzianam. Viuebat in ea splendidè atque magnificè Vir patricius Mediolanensis: nomen Statilio fuit. Qui cum ciuilium discordiarum causa Mediolano discessisset, vt multi ea tempestate faciebant pauculis potentioribus rem com-

communem sibi vindicantibus: quia in Monzano agro prædia & Villas, in Monzana Vrbe commodas ædes possidebat; reliquam eò fortunarum suarum partem transuexit, & perpetuum in ea sibi statuit domicilium, patria relicta. Erant Statilio filij duo, alter annos natus vndeuiginti, alter tantum septuennis, vxore pridem defuncta: ille tertium & sexagesimum implebat. Quo quidem æuo potius cogitationem propinquæ mortis, quàm reditum ad iuueniles delicias suadente; tamen in Virgine puella, coloni sui filia non admodum excellenti forma, sed supra modum lepida & venusta totus exarsit. Nec mora: Patrem argento corrumpit, filiam quasi famulam abducit in concubinatum. Non fefellit grandiorem natu filium Statilij Patris libido. atque vt erat non solùm egregiè pius, sed etiam insigniter modestus adolescens: tametsi hoc ægerrimè ferebat, metuens Parentis animæ, corpori, famæ; tamen nec verbo, nec vultu ostendit vnquam huiusmodi flagitium ab se fuisse deprensum. Enimuerò pauculis post mensibus cum senem nouo amori tantopere deditum cerneret, vt omnibus virtutibus, cum his etiam ciuilitati & honestati nuncium remiserit. hoc secum dies noctesque consultabat, ecquam rationem inire posset paternæ libidinis coercendæ. Venit primum in mentem Confessarij, cuius operam nec affectatam, nec importu-
nam

nam putabat fore in primis huic negotio accōmodatam. Sed comperit paulo post, Parentem solemni animarum Curione relicto * ad Religiosos idiotas primum, postremo his etiam damnatis, desisse confiteri Genio turpiùs & solutiùs indulgentem. Propter hæc non despōdit animum, de paterna salute vt cum maximè sollicitus adolescens, & alias aliasque secum rationes meditatus, vbi singulas molienti, nulla succedebat; ipse demum ausus est Patrem alloqui, fortè in templo repertum his planè verbis.

Iam diu, Pater amantissime, officij mei fuit quædam non exigui momenti ad te deferre, quæ ad dignitatem atque honestatem maximè spectant. Sed me rusticus quidam pudor deterruit, metuentem nè viderer consilium dare rudis sapienti, filius Patri. Nunc me nōn amo, & pœna dignum pronuncio, qui verecundiam inanem meam communi commodo & honori prætulerim, maximè cum haud ego meum consilium afferrem, sed aliorum dicta referrem tibi iudicanda. Fui ante paucos dies hoc eodem in templo, & hoc eodem in scamno sedens, auditurus concionantem inclytum Carmelitam. qui dum cunctatur venire, Antistites operiens, viri nobilissimi Ciuitatis in hoc altiore scamno consederāt, & sermonum varietate (vt assolet) Concionis moram fallebant. Ego post tergum audiens fabulantes,

lantes, verba singula curiosis auribus aucupabar: si fortè quippiam noui ex Gallia, Flandria, Germania: num quid Iulius Pontifex, num quid Veneti aduersus Turcas, & alia huiuscemodi. Sed illi paucula de publicis: multa & multum de priuatis. Inter quæ hoc audiui, quod censens nostra interesse, cupidus bibi aure propius admota. Medius illorum senior, promissa & candida barba, tum vultu etiam augusto venerandus: Miror, inquit, Statilium nec cœtus nostros, nec sacras conciones, nec iam Ecclesias frequentare, virum annis grauem, & nostri æqualem, cetera robustum, & validum magis, quàm plerique nostrum sint. Eum verò subiunxit alius, rarò per Vrbem offendas, rariùs in foro: deditum (sicut ego existimo) totum agricolationi. rus euntem per hos dies iterum iterumque conspexi equo vectum cum villico, sinè famulis vrbanis. Ad hæc alij quædam inseruere minus honesta, & nostro genere indigna, quibus serio affirmantibus, & rem pro comperta referentibus visi omnes assentiri, & casum miserari. De ista dicebant Puella rusticana, quam propinqui & amici omnes palàm querentur esse tibi in vxoris loco. Hic parum abfuit quin ego me interponerem, & illorum dicta refellerem iunior seniorum. Sed me partim solemnis verecundia, partim mirificus omnium consensus in id ipsum, à proposito reuocarunt. Erat enim

difficile, vt aduersus tam multos, auctoritate insignes, & in sententia obstinatos vnus adolescens rectè pugnaret. Hoc igitur potius faciendum mihi putaui, vt eorum suspicionem rationemque tacens auscultarem, & ad te quàm primùm referrem, vt seu vera essent, quæ vulgò iactarentur, festinares tollere. seu vera non essent, illud Cæsaris vsurpares, *NON facto tantùm, sed etiam suspicione vacuam esse oportere Statilianam domum.*

Qua quidem Adolescentis castigatione senex cetera iracundior, & natura ferocior, adeò offensus non est, vt vltro ipse castigauerit castigatorem suum, quod illucusque distulisset referre virorum talium de sua vita iudicium atque censuram, alijs in rebus modestiam ac verecundiam esse retinendam: in quibus autem fama & dignitas periclitari videatur, celerem audaciam esse adhibendam. Hæc Statilius, qui tametsi flagitium quidem neque affirmabat, neque negabat; spem tamen haud exiguam præbere visus est resipiscendi, & propediem ad bonam frugem redeundi. Pius adolescens pro illo preces ad Dominum effundere non desinebat: & alios præterea Religiosos atque optimos Viros, idem vt facerent frequenter petebat, liberaliter vrgebat. Nec admodum diù post (vt credebatur) precationum fructus apparuit. Opportuna Statilio incidit occasio fœdam mulierem honestè dimittendi.

homo

homo strenuus & non indiligens colonus poscebat in Matrimonium. Is in agro Mediolanensi fundum conduxerat. Inde sibi & Parentibus alimenta capiebat. dotem pro re non magnam; nummos aureos triginta numerarent: nil petere aut velle amplius. Erat condicio feminæ quidem non contemnenda, Statilio autem votis omnibus expetenda, & postquam venerat insperanti, toto pectore amplectenda. cælitus missa videbatur, vt eadem opera sibi & Amicæ consultum veniret. ita illum cognati & propinqui omnes docebant. Frustra. leniter ille singulos auscultabat; rem vultus polliceri, verba non negare. cum ad facta ventum est, ibi simulatio, calliditas, nequitia senis deprehensa. Feminam thalamo egredi prohibuit: villicum, qui petebat absterruit, malum minatus, nisi desisteret, atque abiret. Exinde hominé in desperatis habuere omnes: nec ea gratia quisquam cum illo amplius expostulauit. Filius dumtaxat pro sua in Parentem eximia charitate, aliud aliquid videndum atque conandum sibi putauit, neque vt ceteri animum despondit. Senex interim famæ, dignitatis, & conscientiæ securus planè officia omnia tam Christiana, quàm Ciuilia deseruerat, totus ebrietati atque libidini mancipatus.

Verùm enimuerò quanquam senem fruendæ puellæ facultas deficeret, at satietas non caperet; puella tamen seniles com-

plexus, & steriles blanditias aspernata, nihil cogitans ex quantula in quantam creuisset à Domino culta in vxoris loco; bonam gratiam rependere statuit benemerenti. Ad filium ipsius natu maiorem, mirifica oris elegantia spectabilem, sed constancia pectoris munitum nihilo minore, oculum quasi iaculum adiecit. Visa est sibi pulcherrima femina sauciasse animum adolescentis, ideoque ad spem erecta castitatis expugnandæ, in dies blandius cum illo agere, promptiùs morem gerere, vltro exequi & ante capere quicquid eum velle, aut putabat, aut diuinabat. Adolescens vtrum ista simplici & candido, an parum pudico animo fieri existimaret, incertum est. illud constat, nunquam ea gratia illius animum ad iracundiam, aut indignationem fuisse commotum. Quæ res mulieri animos addidit vlteriora experiundi. Erat hæc in Statiliana domo minimè tanquam pedisequa, vel famula honestior, quales antiqui Atrienses vocabant, sed quasi mater-familias omnium domina, & in omnes domesticos imperium exercens. Neu quicquam deesse sibi videretur ad plenam, quam affectabat nobilitatem; ex Mingola pecuaria in Porciam Albingam se transnominauit, & nomen & patriam mentita. Inter ceteras familiæ ministras vnam habuit peculiarem, sibi genere propinquam, cui longè multùm confidebat. qua-cum de nupero

etiam

etiam amore communicauerat, eamque fidelem ac fortem sociam sibi adsciuerat ad iuuenem corrumpendum. Igitur die quodam Statilio rus profecto, nec ita mox redituro, noua Porcia absentiam Domini, occasionem suam rata; cum Publio (id erat iuueni nomen) forte solo sermonem aggressa, non dubitauit ei detegere amorem suum, rogans, obsecrans, obtestans, vt se voti compotem faceret. Instare ab altera parte subueniens ancilla, vt puellam succi plenam, forma insignem, ætate florentem, sic amantem ne contemneret: sed interea dum virens ætas blanditur, & vtriusque Genius inuitat, mutua voluptate animos explerent.. hunc esse florem ætatis Cupidini dicatum: ei libandum concedere oportere. Stolidi ac præposteri omnes, qui hæc in senectam: nec agendo idoneam, nec fruendo. His alijsque nunc precibus fatigatus, nunc blanditijs illectus adolescens, ad tam fœdi facinoris nomen sic obstupuit, vt oculis in terram defixis, diu vocem emittere non potuerit. Mox reuerso animo, gliscente ira, tam grande conuicium fecit, vt partim pudore, partim formidine perculsæ, humiliter ei supplicarint, si sibi obsequi nollet, ne se saltem suumque flagitium Domino indicaret. Id nimirum Publius inter obiurgandum fuerat minatus. nec erat tamen facturus illæ si quiessent, nec in posterum eam sibi molestiam exhiberent. Imò verò

non quieuerunt, sæpiùs exhibuerunt, & instantiùs rogarunt. ille tacuit nihilominus, nè quam Seni grauiorem animi ægritudinem afferret. Hoc tantùm sedulò cauebat, nè se vnquam offenderent mulieres solitarium.

Porcia sæpenumero contempta, & ludibrio habita, quanquam erat obscurissimis orta parentibus, tamen splendidarum mulierum morem secuta, flagrantem amorem in flagrantius odium conuertit; & iuuenem innocentem, ideo criminis reum facere statuit, quia ille crimen admittere noluerat, pro innocente habitura, si peccasset. Iam quò flagitium probabilius, ac vero similius redderet; negotio cùm ancilla communicato, ita rem ex compacto gerere instituunt. Porcia tempore ante capto cùm Statilius paulò post domum esset rediturus, mœrens in cubiculo sedebat. creber anhelitus recentem laborem, vultus tristior summam mentis ægritudinem arguebat. ex aduersum stabat ancilla pariter ingemiscens, oculis vdò tumentibus. Ecce Statilius à foro domum. qui statim rectà in cubiculum, sic semper solebat ad Porciam, quæ illi carior, quàm anima erat. Ergo illam preter solitum tristem, ægreque spiritum trahentem cum offendisset, ancilla pariter sollicita, & tantùm non plorante; totus animo conturbatus, tristitiæ caussam requirere cœpit: Porcia nihil diu respondere: ancilla tantundem. Dominus

hoc

hoc magis instare: verbera etiam & fustem minari, si tacerent. Ad extremum quasi coacta, singultibus vocem rumpentibus, Porcia respondit, Negotium esse huiusmodi, quod comprimere satius foret, ac pati occidere sepultum, quàm educere in auras. & se tamen dicturam, quia Dominus imperat, cui reluctari fas non est. Publius, inquit, tuus non hodie semel, sed hodie instantiùs ac vehementiùs ausus est me. obnitendo fatigata sic elangui, vt ægre spiritum ducam. Si paulùm cessasset auxilium, mi Domine, in præsens aut mortuam cerneres, aut impudicam: sed prius me mortuam. Interuentu ancillæ (Dijs fauentibus) libera sum. Ei vitam, ei pudorem debes meum. Fidem mendacio fecere primùm lacrymæ vbertim cadentes, quarum periurio amor abutitur ad fraudem: deinde singula confirmans & exaggerans improbior ancilla. Itaque Pater suopte ingenio ferox & implacabilis ex Zelotypia in tantam rabiem excanduit, vt similis insanienti hac illac rueret vociferans; SCELESTISSIME mortalium, ego te hoc gladio transfodiam, cor manibus extraham, & pede conculcabo. Nec dictum res morata. Stricto ferro ibat in filium. Forte Publius paulò ante redierat domum, & in solariolo extra parietes proiecto (Menianum veteres vocabant) Rosaria sua murmurans lentè ac securè inambulabat: cum ecce in se Patrem verbis

iurgantem, gladio minantem, subito respexit. Obstupescere adolescens; & quid noui accidisset quærentem, senex Furijs agitatus, perfidum atque incestum vocans, altè ictu vibrato inuadebat: Adolescens fulgentem gladium, & furentem intuens dexteram, metu perculsus retro pedem tulit læthalem plagam declinaturus. nec est recordatus infelix (formido memoriam excusserat) quòd super Podio esset præalto, & nullus ab ea parte obicibus cincto. Mendax podium, pergula infida, quæ non obstitit ruituro. nisi credam ideo factum, nè innocens parricidio caderet. Igitur præceps lapsus retrorsum capite ad subiectum marmor illiso, statim expirauit, cerebro ac terra fœdata.

Pater immanissimus, vt illum adhuc Furiæ stimulabant, non in terram collapsum, sed saltu elapsum suspicans adolescentem, per scalas vt cum maximè vociferans, & conuicia ingerens persequi festinabat: Ecce autem in filium incidit exanimem, capite diffracto, & cerebro adhuc palpitante resupinum. Ad quod spectaculum discussis animo tenebris, vidit Senex in clara luce iuuenis innocentiam, mulieris calumniam, impudicitiam, periuria, dolos. fugit illico furor, qui hostem induxerat: & serò subiens indulgentia restituit Patrem. Iudex præposterus, & laqueo dignus, ante irrogans multam, quàm reus causam dicat; & tum demum

absoluens,

abſoluens, cùm caput amputauit. Ergo ſuam deteſtans primò ſtultam credulitatem, deinde celerem crudelitatem, rurſus duplici furore correptus, contra ſe, contra feminas: antea illas, poſtea ſe ipſum interimere ſtatuit, & innocentis filij Manibus trium nocentium ſanguine parentare. Hoc conſilio domum, atque in cubiculum regreſſus Porciam oſtendit gementem, lacrymantem, quaſi pœniteret indicij, quod fecerat: non cogitans malè cauta, rem in cædem & mortes eruptaram. Ea ſcilicet gratia dolere ſe ſimulabat, & verè forſitan dolebat: ceterum mendacij ſecura, quòd arguere mortuus non poſſet, armabat impudentia os, & linguam ad confirmandum: vt cuius paulò ante corpus Pater afflixerat, huic illa perpetuam adureret infamiæ notam. Non tam audax atque confidens fuerat ancilla, quæ ſimul atque furētem Dominum conſpexit, furtiua molitur fugam, & ſe interim in ædium parte magis remota occultarat. Ergo ad Porciam Statilius, furore paulùm inhibito, & gladio in vaginam recondito: Publius, inquit, dignum vita & factis exitum inuenit. Mori aliter non decuit contumacem. Mihi gaudio eſt, quòd vltus illum ſum, nec me parricidio inquinaui. Specta hominis improbitatem, audaciam, ſcelus. Me coram arguere ſuſtinuit: ac tantùm non minari viſus eſt, niſi extruderem domo (ſic te appellabat) ſcortum

 ruſti-

rusticanum. Ei verò cum ingens conuicium fecissem, reprehenique impudētiam; ingratus palàm me in foro & per compita diffamabat. Itaque illum non viuere, Dijs pœnas exigentibus, mihi iucundissimum est. Ceterum mea Porcia, non est clam me istuc ipsum de quo accusastis, nūquam ab eo factum, nunquam tentatum. habuisset ceteras animi dotes, modestiam, obedientiam, amorem erga Parentem; vt certè habuit habebatque pudicos & candidos mores. flerem hodie defunctum, cuius casu delector, & obitu triumpho. Quid ergo hic cetera persequar? Non venerat ad clausulam sermonis huiusce Statilius, in qua minis sibi opus fore censebat ad extorquendam facti confessionem: cùm femina (siue illam conscientia, siue spes inducebat) paulatim annuere cœpit, vsque adeò donec frons, oculi, os totum, & corpus totum sua sponte rem eloqui visa sunt. Statilius etiam linguæ testimonium, & totius rei ordinem seriemque cognoscere voluit. In qua quidem referenda cum Mulier de suo in Publium odio dissereret, iussa odij causam atque originem aperire; friuola quædam ab se parum aptè conficta respondebat. Venit ergo Statilius ad minas, & strictum admouens iugulo mucronem, id etiam expressit, vt fateretur, ex fœdo amore odium natum. Quo vir audito in pristinam rabiem furoremque reuolutus, primùm feminam

adacto

adacto per pectus gladio transfodit, cor manibus extraxit, pede conculcauit: deinde insanis vociferationibus aera rumpens ad cadauer filij reuersus eodem gladio se ipse transfixit, ceciditque super mortuum moribundus. Ancillam ex fuga retractam, flagitij consciam atque conuictam, sua pœna secuta est.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplum Octauum

Argumentum.

Blanca Maria per inconstantem & variam libidinem amatoribus suis graue periculum, sibi meritam mortem imprudens adsciscit.

Libet exclamare, inquit Rex: *O mortalium, ac præcipuè senum intemperans libido! quæ hominem natu grandem antea stupratorem, deinde parricidam, postremo interfectorem sui fecit, nec vno quidem sed triplici mortis genere multatum, Corporis, Animæ, Honestatis. Super quo casu cum aliqua multa seniores disseruissent, conuersus ad* Archelaum *iunior* Philander; *Tuum, inquit,* Exemplum *me mirabiliter afficit, eique iam dudum laboro vel apponere parallela, vel opponere contrarium. Agè hoc primum, quod*

dixi vltimum: & Hispaniensis Matronæ pulcherrimum facinus, idque rarum & insigne, consequatur Gallicanæ mulieris æque rara, sed insignior turpitudo. Fructuosum vtrumque iuuenilibus annis; at hoc arbitror fructuosius Exemplum.

IN Gallia Narbonensi, cuius pars Allobroges, Taurini, & Pedemontani plane omnes fuere, Ciuitas est lauta atque ampla, quam hodie Casalem Monferrati appellant. Hinc nimirum oriundus fuit ex admodum ignobili, & obscuro genere Iacobus Scappardonius, qui quantulum habuit copiarum ab auis hereditate relictum, præsenti argento vendidit: & pecuniam omnem fœnori commodabat, vsuris adeo largis & inianis, vt multorum spatio annorum immensas opes confecerit, & iam senior nobilem duxerit vxorem annis florentem, natione Græcam. Marchiones Gonzagæ maritarunt, ex Græcia nuper aduectam cum dote, ac mundo muliebri non pœnitendo. Vna illis filia fuit Blanca Maria, nil amplius liberorum; & ea in primis facie honesta, viuido ingenio, moribus castigatis: tantum pauló promptior, & audacior, quàm ingenuam Virginem decebat. Hæc nondum matura nubendo erat, cum Pater senio grauis decessit. Mater Græca impuberem honeste ac liberaliter educabat. Quoniam autem non solum pulcherrima & venustissima,

ma, sed etiam valde opulens erat puella, censu scilicet domestico supra centum & viginti aureorum millia : cum iam quintum decimum explesset annum, Vir admodũ illustris Hermes Vicecomes, quanquam tanto imparem natalibus, legitimo matrimonio sibi adiunxit, nuptiasque cum illa in Regalem modum celebrauit. Antea tamen, quàm sponsa Mediolanum ingrederetur, Franciscus Hermetis frater natu grandior, quadrigas illi obuiam misit (nuptiale donum) opere celatas elegantissimo, & quoquo versum fulgentibus gemmis exornatas. tegmen *præterea*, & stragulam vestem ostentabant auro argentoque intertextam, multo smaragdo alijsque magni põderis vnionibus distinctam. Iugales candore niuem, cursu Eurum putasses æquaturos. qui tamen superbo incessu crura molliter explicantes, hanc velut Reginam ab sella eburna conspicuam vndique, lætantem ac triumphantem Mediolanum induxerunt. Dixisses Cleopatram venire ad Triumuirum (sic ille voluit, sic iste imperauit) ad Capitolium Alexandrinum.

Sexennio post moritur Hermes, nulla in mortis solatium sobole relicta. Hinc scilicet effectum, vt cum suis omnibus copijs, cumque illa propemodum regia supellectili Blanca Maria Casalem in suam patriam redierit. Vbi post paulùm matre orbata, & illo tanquam freno laxata, in

omnem

omnem vitæ licentiam ruere festinabat, nunc hos, nunc illos animo destinās amatores. Opportuna mentio insignium nuptiarum, quæ illi statim sese obtulerunt, audax feminæ propositum interpellant. Poscebatur instanter à compluribus. sed hi tandem complures ad duos redacti sunt nobiliores, quibus ceteri concesserunt Gismundum Gonzagam Ioannis filium, & Comitem Cellantis, sanè fortem virum, & inter Sabaudiæ Proceres insignem. qui valde locuples in Monferrato, multis præterea Castellis imperitabat, sitis in Valle Augustana, vnde quotannis aureorum plura millia capiebat. Marchio ipsa Monferrati, vt genero suo Mantuæ Domino gratum faceret, omni ope conata erat, vt Blanca Maria Gismundo nubere mallet. Iam iamque negotium eò sagaciter adduxerat, vt nihil obstare videretur, quo minus res inter eos conueniret, ac nuptiæ fierent continenter. Verùm enimuerò Comes Cellantius cum muliere ipsa collocutus, vir facundia pollens, & illam miserè amans, blandiendo, adulando, pollicendo perpulit tandem, vt se Comite Marito diceret esse contentam. Neque hoc tantùm: sed nulla interposita mora, conueniunt, desponsantur, corpora miscent clandestinò. Id postquam fuit auditum, indignari generosa Marchio Monferratensis, quòd sibi tam diu data verba, & se quodammodo habitam ludibrio sentiret. nec

est dubium, Blancæ ob eam rem aliquid euenturum mali à Marchione irata, nisi Comiti honos habitus fuisset. Nuptiæ demum palàm celebrantur, cum magnifico apparatu, & non exiguis sumptibus: at pessimis tamen auspicijs, vt postmodum comperta res est. quam, quò tandem esset euasura, satis dicebat vulgare verbum; *QVAS nuptias, cupido conciliat, euenire infeliciter. & PER rabiem solere deponi, quod sumptum sit per amorem.*

Paucis enim post mensibus noua Nupta, quæcumque capitalis dissidij causa fuisset, ira & furore inflammata, post atrox cum Viro habitum certamen, furtim ab eo discessit, nec vt antea Casalem, sed Ticinum rectà contendit: puto, extra patriam licentiùs atque impuniùs peccatura. Hic ergo ædibus longè magnificis & elegantibus conductis, vitam instituere cœpit, qualem semper optarat, scortatoriam, nec adeò publicam, nec adeò pudendam (vt quidem illa sibi videbatur) tantùm nobilissimis, eisque admodum paucis assuescens in consuetudinem receptis. Degebant illa tempestate in Aula Imperatoris Ardizinus Valperga, & Carolus frater Masini Comites. quorum cum fortè Ardizinus Cæsaris negotia curans Ticini commoraretur, conspectam mulierem forma eleganti, & parem formæ humanitatem lenitatemque præ se ferentem; continuò incensus, perditè amare cœpit. Nec ipse

amori

amori defuit suo, sed humiliter adeundo, colloquendo, largiendo tãdem voti compos est factus. Prope annum integrum Comes nobili scorto, tanquam legitima coniuge potitus fruebatur, nec vlla vnquam mutuo amori suspicio, aut leuior simultas intercesserat: cum ecce tibi Robertus Sanseuerinus Guaiazzi Comes ætate, opibus, robore præstans Ticinium venit. cui Blanca furtiuos (vt solebat) adijciens oculos, nouo indulgens amori veterem paulatim animo expulit, totaque in eam curam incubuit, vt excluso Ardizino succederet Robertus. Nihil quicquam adhuc scire aut suspicari Ardizinus. quod rectè intelligeret ab se nihil esse commissum, quare mulieris consuetudine, aut amore priuaretur. Sed cum Blanca sensim refugeret congressus, nec iam hominem aut æquo animo, aut æquis oculis aspiceret, demum & ad se introitum negaret: post tertiam, quartam, plures frustrationes, ad extremum furore ardens Ardizinus, facto impetu, domum irrumpit. & quanquam minacibus iurgijs agere decreuerat, pactam fidem illi exprobrando; tamen vbi notam, & coli solitam pulchritudinem in conspectu habuit, quæ non homines tantum in feras, sed ex feris leones in damas conuertit, tota penitus agendi ratio immutata est. Vidisses ad illum supercilij rigorem cadere impetum animi ferocientis, & extemplò mãsuescere iram,

donec

donec hostem fugauit, amantem reduxit.

Reuerens igitur (vt antea consueuerat) muliere appellata; humaniter rogabat, Cuius se criminis reum faceret, quem tot iam dies consuetudine priuabat sua. paratum se ad multam subeundam, deque suo corpore satisfaciendum, si qua forsitan in re illius animum offendisset. propterea se non pœnam deprecatum, sed gratiam redemptum accedere supplicem. Ain' verò Supplicem? inquit mulier amare subridens. Lepida ratio mecastor veniendi ad pœnam subeundam, ad gratiam redimendam: effringere alienas fores, irrumpere furibundum, propellere custodes, si aut stent, aut resistant, occidere paratum. Volui paucos dies experiri amorem atque constantiam tuam. Experta sum. Habe tibi res tuas. Me posthac non inuisas, non obserues, non affecteris, atque adeo, si gratum facere voles, nè aspicias quidem. Ad hæc, vt erat linguæ intemperans, facta etiam ex Comitis humilitate ferocior, eo demum vecordiæ prouecta est, vt nè à conuicijs quidem atque scômatibus abstineret. Habebat Ardizinus elegantem corporis atque oris habitum cum iuuenili robore certantem, viriliter formosus. tantûm ex pede nô nihil claudicabat. Atque id etiam naturæ peccatum iniqua mulier detorsit ad contumeliam. & nunç claudum pedetruncum, nunc monstrum hominis eundo saltans, Cælo inuisum appellabat.

labat. Comes Ardizinus quandiu feminæ leniundæ, ac sibi reconciliandæ spes fuit; patienter ac modestè respondens, partim se purgare, partim veniam poscere, atque omnibus verborum blanditijs mulcere furiosam. Vt vero animaduertit, quanto ille mitiùs ageret, tanto inclementiùs furere bestiam; & esse scilicet iracundiæ pabulum molles preces: ipse quoque tanto concitatior, quanto iram diutiùs collectam tenuerat, longè grandius reddens conuicium, ab ingenio procacem, à moribus impudicam, à professione meretricem, à natalibus paganam & agrestem nominabat. Ferunt hoc feminæ vltimum conuicium, & si erat leuius, verius, notius, perpessu grauissimum fuisse, *VT minus odimus mortales solida vitia, quæ vitio nostro contracta sunt, quàm quæ tantùm vitij speciem habent, & vitia si sint, nostra non sunt à maiorum fonte deriuata.*

Sic per mutuam altercationem à Blanca Maria diuulsus Comes Ardizinus, cum Ticini alia eum negotia non tenerent, Mediolanum reuertitur. Atque ibi quæcumque incideret occasio de Blanca Maria cum quopiam loquendi, frenum linguæ laxabat, fanda infanda sinè discrimine miscens atque diffamans. Id verò quispiam iuuenili animo, recenti contumelia exagitato, facilè (sicut ego arbitror) condonaret. at illud clarissimo Comite, ac generoso Equite parum dignum est visum,

quod

quod inter cetera mentiebatur, se à femina sponte appellatum, nihil tale requirentem aut cogitantem. Faciamus tamen vera dicere Ardizinum (& fortasse dicebat) quanquam contra illius temporis Historia, & pariter hominum opinio fuit: dico habuerit Ardizinus à Blanca Maria sponte donatum, quod alij seruitutis, & munerum pretio emerent: hoc magis feminæ deuinctus atque obligatus discesserat, quòd nullo dispendio benè fuerat acceptus. An non debuit in hoc saltem sibi temperare, vt nec palàm vulgò infamaret, nec adeò in longum? ille verò in triuijs, in coronis, in omni congressu lacerare absentem, quæ illi quoquo modo erat excusanda, saltem silenda. Et iam tertius exierat mensis, cùm feminæ adeundæ finem fecerat, nec dum faciebat insectandæ. Venerunt igitur facilè pluribus ex locis ad Blancæ Mariæ aures Ardizini maledicta. pro quibus vt meritam inimico gratiam referre posset, Comitem Robertum Sanseuerinum vltro in intimam cõsuetudinem admissum, & Cupidinis telo (vt apparebat) altè sauciatum, delicijs vt cum maximè quadam noctu ebrium instituit, vt Ardizinum Masini Comitem, sibi multis nominibus infensum de medio tolleret. se pro tam singulari, & iam dudum exoptato beneficio in perpetuum illi deuinctam, ac velut nexu mancipem fore. Mirari admodum Robertus, vnde Veneris imbelles

lusus

lusus fero negotio corrumperet Mars intempestiuus: & quamquam prope mentem voluptas alienauerat, eo tamen postulato, tanquam iaculo percussus ad se statim reuertitur. & prolixe ille quidem pollicetur, non se hoc tantùm quod facile putaret, sed quiduis longè difficillimum in suæ spem gratię prompto animo aggressurum. aliqua tantùm sese præberet simul faciendi, simul latendi opportunitas: nequando mutuos amores aut longius exilium, aut durior casus interpellaret. id sibi etiam atque etiam (nè dubitaret), cordi futurum. Hæc aliaque tempori seruiens, & suæ prospiciens voluptati spondebat Robertus. Ceterum cognita mulieris improbitate, atque perfidia, secum ipse constituit nè in minimis quidem officere, aut quicquam nocere Ardizino: tantùm abfuit vt meretriculæ causa mortem moliretur clarissimo viro, sibi familiariter amico, à quo quidem nunquam facto, nunquam dicto fuerat offensus. Imò ipse habet Ardizinus (ita secum Robertus loquebatur) satis honestam causam de me conquerendi, quòd ad suos amorès, illo pridem expulso fuerim admissus. Neque conqueritur tamen, aut mihi quicquam eo nomine succenset. nimirum arbitror quia hoc secum recta reputat via, id inconstanti feminæ, non constanti amico (præsertim inscienti, præsertim inuitato) esse tribuendum.

Pergebat

Pergebat igitur in suis voluptatibus Comes Robertus feminæ securus. Ardizinum verò adeò lædere non sustinuit, vt iterum iterumque Ticinum venienti epulas præbuerit, & palàm cum eo familiariter fuerit versatus. Id Blanca Maria iniquissimo ferens animo, cum se illa via desperaret ad effectum sui consilij peruenturam, aliud aliquid videndum sibi atque conandum esse decreuit, vt quoquo modo inimicum vlta rabiem suam satiaret. Interea Robertum per honestam causam domo expellere statuit, animo pridem expulsum abiectumque. Nunc igitur morbum, nunc languorem, nunc alias occupationes causata, illi paulatim subtrahere sese, nec vt antea spectandam aut fruẽdam exhibere. At metuens tamen viri nobilissimi odium incurrere, nuper experta, quid periculi foret huiusmodi facere inimicos: hanc rei mitigandæ fabulam confingit. Venere dudum, inquit, à Comite Cellantis marito meo internuncij & litteræ, quibus inuitor ad gratiam cum illo recõciliandam. Quo mihi hoc tempore nihil contingere potest aut opportunius, aut exoptatius. Precor te, vt intermittas domum meam venire, ac mecum versari familiariùs; ne quid minus honestum de me ad maritum referant commeantes, vndè illius à me animus fiat alienior. Crediderit, an non crediderit Robertus, incertum habeo: illud certum: præ se tulit quasi credidisset;

nec

nec ad mulierem accessit amplius, extemplò reuersus Mediolanum. Hic Blancæ Mariæ inconstantem, atque auidam libidinem agnoscere licuit. Quæ dudum supra omnes mortales oderat Ardizinum, mox excluso Roberto, ad pristinum amorem reuoluta, secum ipsa reputare instituit, quanto ei fuisset cum vetere amante, quàm cum hoc proximo vita liberior. illius in se amorem, obsequium reuerētiam in Cælum tollere: contra huius insolentiam superbiamque detestari, & se incusare, quod eius dura imperia perpeti sustinuerit. Ergo illi bona omnia cupere, hunc si quando possit, acriter vlcisci parata. Nunc cogitare dumtaxat quibus artibus veterem amatorem sibi reconciliet. Ardebat nempe duplici libidine, alterius perdendi, alterius fruendi: sed vincebat feram cupidinem mitior Cupido.

Qui cum frequens & solito blandior in Blancæ Mariæ oculis, labris, ore toto versaretur; inde quodam die notis flammis appetitus, & ante incogitās afflatus, quàm se inuadi sensisset, totus iterum exarsit Ardizinus. Adeoque non opus habuit sequestribus litteris, aut captantibus internuncijs; vt se vltro pristinis laqueis irretitum, quasi fugitiuum Dominæ redderet in antiquam seruitutem. Laudare femina consilium suum, & hinc expressiùs videre comparando, quanto esset Ardizinus, quàm fuerat Robertus & modestior, & amabilior.

Omnium igitur iniuriarum memoria deleta, sinè vllis querelis, aut suspicionibus genio indulgebant: cum hanc quoque tranquillitatem non diu post (vt solet) inuidens fortuna conturbauit. Postquam femina primam libidinem arbitrio suo satiarat satiabatque; Tempus est, inquit, iam aggredi secundam, & meis nunc mortuis ærumnis inimici sanguine parentare. Non effugies infortunium, si viuo adhuc plusculum, Roberte. imo viuere ipsa, & frui anima non possum, tu nisi prior extinguare. Iam faxo intelligas, quàm contempseris; & seruire tibi volueris, dignam imperandi. Hoc igitur odio inflammata opportunum rei locum & tempus nacta, cum molliùs voluptate diffflueret amator, sic interspergit astuta blãditijs venenum. Anime mi, Complures elapsi sunt dies, cum te habebam primò aliquid monere, dein aliquid rogare quod plurimum interest vtriusque nostrum. quare autem non fecerim, vera est causa, & vna causa: Non putaui esse opus, quod nunc video esse. Tantum scire antea velim, sis'nè alacriter ac strenuè facturus, quod rogauero. Tunc Ardizinus amore ebrius, omnia promittens, nihil excipiens; Impera, inquit, effectum dabo. Hic rursus femina; Robertus, inquit, Sanseuerinus quomodo nam dic obsecro tecum? Mirari Ardizinus insperatum exordium, & tanquam somno excitatus, Optimè, inquit, mea Domina.

fami-

familiaris inter nos amor à pueritia fuit: creuit cum ætate necessitas, quam vtrinque aluimus officijs. vt ego illum perinde ac fratrẽ diligam, & me ille nihilominus. At enim mea vita quamobrem istuc me rogas? Hic aliquandiu silens, & velut ambigua dicendi mulier, amatorem arctiùs complexa; O quam te, inquit, tua spes atque opinio fallit Ardizine! Superioribus mensibus, cum ille meam domum ventitaret, mecumque (vt nosti) familiariùs versaretur, affirmauit non semel mihi te vnum esse inter mortales, aduersus quem ille odio capitali esset incensus, nec longo post tempore auditum iri, cum Ardizinum Robertus adacto in pectus pugione transfoderit. hoc tantulum in mora esse, quòd nescio quid antea litiũ haberet expedire. id autem vertente anno fore confectum. Oraui, obsecraui per omnia Numina, vt quandoquidem mecum non petente odium suum communicarat, non celaret nosse cupientem de odij origine & causa; hoc vero ille pertinax negare, tantùm dicere insignem esse contumeliam, qua fuerit abs te affectus: eam tuo sanguine, non aliter expiari oportere. mox erumpere in conuicia, imprecationes, execrationes aduersus omne nomen Comitum Valpergarum.

Ego tametsi eram illo tempore tibi subirata, nec ille hoc ignorabat, imò me ob hanc causam dicebat ab se amari vehementiùs;

mentiùs; tamen egregie tutata sum partes tuas, ab eoque omni studio contendi, vt saltem in meã gratiam desisteret incepto. Subiunxi, hoc nisi faceret, mihique sponderet iureiurando, haud illum deinceps tam carum mihi futurum, quàm hactenus fuisset. Quid multis verbis opus est? Interminata ei sum, nisi parceret Ardizino, & mihi narraret odij causam; fore illi mecum inimicitias æternas. Et vin' confitear? fuit hæc inter præcipuas causas, quamobrem explosi, & abieci hominem, detestata immanem crudelitatem. Nunc si Comes Ardizinus me audire voluerit fideliter (credo etiam prudenter) admonentem; non expectabit dum se inimicus aggrediatur, sed maturo consilio præueniens occupabit imparatum. Id nimirum te Ardizine, tuis hucusque fortiter actis, & clarissima tua gente dignum est, anteuertere proditorem, & paratas insidias in caput reijcere molientis. Nemo te non sapienter fecisse dixerit, qui si o vltus latentem hostem, pepereris tibi, & vitæ tuæ securitatem. Hoc (quemadmodum vides) tua causa facere debes, dignitate suadente, periculo cogente. sed meam insuper adiungas licet. quæ me abs te singulari & æterno beneficio affectam putabo, si hũc superbum atque inmanem non homines, non Deos metuentem de medio sustuleris, & quò dignus est, in barathrum ad feros Manes detruseris, consocios se dignos,

Qui si forsitan dicas, te vitam tuam pro nihilo putare, vt vulgo facitis viri bellicosi, fortiter (vt vobis videmini) sed parùm prudènter philosophantes: obsecro te, vt vitam respicias meam, quæ nec bellicosa, nec philosopha sum. & me certum est morituram, si diutiùs viuat Robertus. Potuit hanc fabulam callida mulier viro admodum eleganti, at non admodum astuto, & tunc amore diffluenti facilè persuadere: VT sumus omnes nimium creduli mortales, cum aliquod narratur, à quocumque narretur, impendens capiti discrimen: sed illa orationis clausula satis aperte ostédit, feminam de se, suaque vltione, non de Ardizini salute esse sollicitam. voluisse illam metu mortis iniecto, impellere Ardizinum ad facinus; sed nimio affectu concitatam ita prodidisse rabiem suam, vt facilè apparuerit respectum amici aut nullum esse, aut post venire longo interuallo. Itaque iam nihil dubitat secum Comes Ardizinus, quin mulier de se omnia fuerit mentita. Robertum de se opprimendo cogitasse vnquam; nec si forsitan cogitauit cum Blanca Maria rem huiusmodi locutum. Tamen tempori seruiens, & Amicæ obsecundans, non minus prolixè pollicetur, quàm anteá pollicitus esset Robertus, futurum sibi curæ supra omnia Dominæ mandatum. Animus autem vtrique par, vtrique idem fuit, non nocendi amico propter meretriculam quotidie infa-

mem atque inuisam magis. Venit paulò post Ardizinus Mediolanum, & cum Roberto in hunc sermonem ingressus; Quæro, inquit, optime vir, expedieris necne, an nondum etiam lites tuas, vt possim me comparare ad Christianam & piam mortem. Satis enim scio, post quam causa ceciderit aduersarius, mihi tuo gladio cadendum fore. Miranti supra modum Roberto, & quorsum illa oratio spectaret requirenti, Ardizinus singula ordine percensuit, quæ illi dixerat, quæ cum illo egerat Blanca Maria. Tunc O perfidum, o impudens, ò immane scortum exclamat Robertus. Nisi dedecori foret Equiti honesto fortem dexteram feminæ imbellis, & feminæ infamis sanguine maculare; quàm vellem ei per occiput eruere mendacem linguam. at non antea tamen, quàm confessi esset, quàm instanter, quàm frequenter obsecrauerit me, vt te insidijs aggrederer, tollerémque aut gladio, aut veneno. Nec alia diffidij causa intercessit, quàm quòd id verbo affirmaueram, facto negabam: amicior tibi ac vitæ tuæ post promissam mortem.

Sic alter alteri dolos atque perfidiam communis Amasiæ indicantes, quicquid dedecoris, aut probri de publico scorto illusi amatores solent, id illi conferre in Blancam Mariam, & palàm omnibus in odium, in contemptum, in ludibrium adducere. Has illa voces atque conuicia

tum rescisceret, multis deferentibus, tametsi admodum ægrè patiebatur, nec aliud dies noctesque agitabat, quàm quo modo vlcisci posset dicaces: tamen callidè simulabat, quasi contemneret, ac pro nihilo putaret. Interiectis autem diebus Ticinio transtulit se Mediolanum; cōductaque magnifica domo, vitam agitabat vt cum maximè splendidam, & femina principe dignam. Fuit illo tempore Mediolani Petrus de Cardona Præfectus cohorti militum relictus ab Artale fratre legitimo. nam ille spurius fuit Comitis Collisani filius, eius qui ad Bicoccam in prælio fortiter dimicans occubuit. Non excedebat Petrus annum alterum & vigesimum: color faciei nigricans: angusta & prominula frons: ceterum magnitudine corporis, & robore animi præstans: manu promptus, atque audax super ætatem. Hic cum forte Blancam Mariam carpento vehentem aurato, & regaliter instructo aspexisset; nobilissimam aliquam Mediolanensium ratus, subitam flammam oculis hauriens transmisit ad pectus. à qua tantùm requietis ac refrigerij dabatur, quamdiu illi assisteret, vel ex propinquo specularetur. Agnouit femina incautum, & adhuc rudem amandi adolescentem ruere vltro in eos laqueos, quibus ad illum diem grandes fecerat prædas: at nullam fore grandiorem, sibique idoneam magis putabat, quàm hunc vernanti lanugine, quasi plu-

mis

mis enascentibus perdiconem. Itaque ad inescandum, illiciendumque non necesse habuit solemnibus artificijs, & scortatorio lenocinio. Vix conspicatus pulchritudinem æstimatione sua raram, vnicam, Cælo dignam; ecce totus inardescit, præcordia feruent, cor exæstuat periturum, nisi alter refrigeret ignis. Præsto fuit in tempore subsidium. amans redamatur, petens exauditur, veniens introducitur. tantumque in muliere fruenda sensum voluptatis hauriebat, vt se felicissimum amantium putaret prædicaretque in latissimo Cupidinis regno. Rursus tanta erga Venerem suam beneuolentia, & tam flagranti affectu erat inflammatus, vt dum se illi morigerum præberet, non laboris, non honoris, non capitis rationem esset habiturus. *ADEO qui cum ingenijs conflictantur eiusmodi, primùm se ipsos amittunt*: nam inde est, quòd reliqua tam facilè disperdunt; retenturi, se si tenerent.

His circumfluentem delicijs, ac sibi tanquam Numini deditum Cardonem, astutè in hunc sermonem ingressa, velut incidisset, aliunde aliò transiens, huc demum euasit Blanca Maria, vt oraret, atque obsecraret instantissimè pro nuper instituta, sed æternum mansura inter eos necessitudine, vt in suam gratiam, & honoris sui causa, duos sibi vehementer infensos de medio tolleret Ardizinum Valpergam, & Robertum Sanseuerinum: vulgo

illum Comitem Masini, hunc Comitem Caiazzi solitos nuncupari. Cardona nihil cupiens aliud, & nihil respiciens aliud, quam quo modo Nympham ac Deam suam demereretur; ceteris post tergum proiectis: Vado, inquit, in præsens parare quæ sunt opus. cras aut perendie rem audies confectam. Fortè fortuna non erat Mediolani Sanseuerinus, biduo ante Ferrariam, inde Mantuam petiturus, & plusculos dies abfuturus: Vtinam cum eo Valperga, qui aliquot passuum millia comitatus exeuntem, ab eoque plurimùm rogatus, vt secum ire pergeret: vnà profecturus: cælum inuitare: negotia permittere: quid illud sibi peregrinationis inuideret? homo contentiùs recusauit, & flens tamen ab amico digressus, reuertit Mediolanum. Hæc fuerunt ad Cardonem per fidos exploratores omnia relata. Igitur ab Ardizino cædis initium facere festinat. Postero die malus genius (quid enim putem aliud?) & Ardizinum & Carolum fratrem ab intimo amico, cuius ædes longiùs aberant, ad cenam inuitandos curauit. Via erat, qua Fratres ierant, & qua erant redituri circa medium peranguста, quam non admodum alta, sed admodum longa concameratio tegebat; illi arbitror simillima, quæ penes hos duo coniungit Palatia largiora & ampliora, in quorum altero Episcopus; in altero Decemuiri ius dicunt. sub hac iter est foro abeuntibus

ad

ad Templum Virginis religiosissimum, quod vulgo Maiestatem Volte appellant. Et est locus inter cetera Vrbis nostræ, homicidijs & oppressionibus infamis. Huic non absimile censeam fuisse opus arcuatum Mediolani, quod viam Valpergis fratribus remetiendam intersecabat. Inde namque aditus dabatur in regionem, quæ vulgo dicitur Maraueglorum, & in viam valde frequentem, cui ab S. Iacobo inditum erat nomen. quà scilicet Valpergas transire oportebat, domum redituros. Igitur Cardona ex militum cohorte, cuius Ducatum tenebat, viginti quinque fortissimos, ac sibi fidissimos legit: eosque loricatos partim gladijs, partim hastis longioribus instructos, apud insidum fornicem conducta casula, in insidijs locat. Fermè concubia nox erat (vt per hiemem cena producitur, & circa ignem teritur tempus) cum refert explorator venire Ardizinum, & Carolum fratres sinè omni metu, sex septem sequentibus pueris tantum gladio stipatis. Qui cum singuli caueam cædi destinatam ingressi essent, facilè pauci à pluribus oppressi, & circumuenti superantur. Fratres alter super alterum confixi hastis occumbunt. Famulorum aliqui sub ipsum tumultum capessunt fugam, reliqui ad vnum confossi iacuere. Mediolanum totamque Insubriam illa tempestate Dux Borbonius pro Cæsare gubernabat. Huius imperio captus illico

Cardona, & in carcerem detrusus, vltro rem confitetur, & omnia indicat palàm. se cædis fuisse auctorem: imperasse suam Blancam Mariam; cui cum Ardizino graues inimicitiæ forent. Rea femina gnara omnium, quæ facta essent, fierentque: inimicum mortuum, amicum in vinculis teneri, palàm esse sua flagitia, se iam omnium præiudicio damnatam: & si spatium fugiendi habebat (haud facilè dixerim cuia gratia) subsistere maluit, & cohortem prætoriam expectare. A qua cum in ius raperetur, vnà secum aduehi curauit grande scrinium, in quod aureorum quindecim millia coniecerat: per hæc sperans (vt ego arbitror) corruptis Iudicibus infami supplicio vindicari. Sed longè illam spes atque opinio fefellit. pecuniam perdidit, & vitam non retinuit. Nam facinus confessa, & facinoris causam, carnifici permissa, & palàm morte multata, dupliciter infelix amisit cum anima honestatem. Cardona (vt Iudicum mos est aduersus diuites gratiosos, potentes) facilè liber euasit, iudicio partim redempto, partim obscurato, Iustitia conniuente.

DECA-

DECADIS SECVNDÆ

Exemplum Nonum

Argumentum.

Scytharum Imperator Cassanus admirando prodigio impulsus idolorum cultu ejurato, Christianam Religionem sponte amplectitur cum suis.

Non est nobis consilium Lector candidè prodigia seu miracula transcribere, quorum plena volumina passim leguntur: & quanquam insignia sunt, tamen præ assuetudine mentem nec ita commouent, nec ita delectant. Quæcumque autem vulgò incognita, & euentu miranda nobis occurrent; ea si ab optimis, & fide dignis Auctoribus memorata fuere, non verebimur in Decadas *referre. Huiusmodi per omnes partes præsens* Exemplum *videtur, de quo vera & incorrupta sui temporis Historia mentionem facit. Vnde scilicet* Malatesta *mutuatum se profitetur, hoc antea præfatus, nè ab se nimium longas historias vel admodum exquisitè tractatas expectarent, homine tantùm ab hoc genere nunquam alieno; ceterum ad studia longè dissimilima varijs casibus identidem distracto. Quam hominis excusationem, vt minime necessariam, non probare* Fernandus, *licet fateretur eam sibi cum illo esse*

communem. Satis enim, inquit, compertum Regi *ac* Sodalibus *est, Martem nobis ab ipso ætatis primordio magis placuisse, quàm aut Mercurium, aut Musas. Quicquid autem facundiæ in nobis esse videatur, naturæ potiùs, quàm disciplinæ ac studio esse tribuendum. Parabat refellere* Pamphilus, *quod ab his diceret excusari artificiosam naturam & eloquentem infantiam: cum* Regis *admonitu* Malatesta *in hunc modum exorsus est.*

ANnis non adeò multis ante millesimum trecentesimum Rex erat Scytharum Cassanus Argonis filius, quem vulgò Canem, & Magnum Canem Tartarorum Historia vocat. Is cùm præter consuetudinem Regum superiorum æquitate, liberalitate, magnificentia, & clementia insignior videretur, maiore quàm antea quisquam à suis populis charitate ac pietate colebatur, vt vltro illi Satrapæ regni, & clariores amici auctores fuerint, vt coniugem se dignam, & eisdem præditam moribus sibi adiungere studeret, vnde Scythia persimiles Liberos Nepotesque in maiorem & dignitatem, & amplitudinem propagaret. Forte fortuna sub idem tempus ad aures Regis fama pertulerat, esse in Armenia puellam, Regis ipsius filiam nomine Catharinam, quæ pulchritudine, honestate, prudentia omnes coæuas per Orbem terrarum longo interuallo superaret. Hanc si sibi coniugem amici conciliarent,

liarent, perficerentque vt illa maritum, non abnueret Christiana Idololatram. Rex promittebat se in amicorum potestate futurum, primo quoque tempore ductorum, & gratiam insuper non exiguam habiturum. Ergo cum in Regiam purpurati & Senatores conuenissent; re primum inter eos ipsos, deinde ante Regem diligentiùs maturiúsque discussa; constitutum est omnibus ad vnum probantibus, vt ad Regem Armeniorum Legati mitterentur petitum filiam in Regale matrimonium, quo illa grauari non deberet, vltro expetendum, nisi offerretur. Stata die iter ingressi, & strenuè progressi, ad Regem adeunt, Imperatoris sui mandata exponunt, eo triduo poscunt responsum.

Rex Armenius lætari ex vna parte, quod tantus Imperator non modò amicitiam, sed & necessitudinem sibi suam offerret. Ex altera tristis esse, quod suspicabatur nimium abhorrere à talibus nuptijs, & marito Cane infideli Virginem filiam Christianis sacris imbutam, super ceteras piam, & Cælitum reuerentem. Quæ si recusaret, haud dubiè barbarum ægriùs laturum: & grande sibi, ac regno suo periculum imminere à strenuissimo Imperatore, à ferocissima gente. Prius igitur quam Legatis responsum daret, rem cum Filia communicat, & impendens periculum exponit si forte barbaro non obsequantur. Catharina illo tanquam telo perculsa improuiso,

nihil aliquandiu locuta, sic demum respondit. Auertant Cælites, Pater mi admodum obseruande atque colende secundùm Deum, vt tu mea causa quicquam vnquam detrimenti aut incommodi patiare. Mori me malim, quàm ex me quicquam tibi euenire, quod nolis. Fugiam igitur tristem repulsam, nec istas detrectabo, cetera dispares & mihi non optabiles nuptias. Vnum oro, detur mihi facultas in illa Regia Christiano ritu viuendi cum familiaribus, & pedisequis meis, hinc illò transducendis. Ero in ceteris, vt sponsam decet, Viro meo, Domino meo obsequentissima. Placuit Parenti sapiens illud, & modestum & amabile Virginis respõsum: iussitque ad eam Legatos introduci, vt ex ipsa cognoscerent, quid eos ad Regem suum referre oporteret. Venerunt, exposuerunt, audierunt, comprobarunt, & se statim ad Regem suum scripturos affirmarunt: nihil ambigentes, quæcumque illa peteret, Regem libenter esse concessurum. Atque ita prorsus est factum. Rex Virginis eximiam pulchritudinem venustatemque ab his etiam edoctus testibus oculatis, antiqua flamma nouis auctibus cumulata, duo statim diplomata dat, suo chirographo, & signo Regio munita. In horum altero Catharinæ Regis Armeniorum filię, iusto secum ac legitimo matrimonio coniungendæ amplissima conceditur facultas retinendæ, ac palàm colendæ auitæ reli-

gionis

gionis cum quotquot vellet ex numero suorum suarumque. In altero mandatur Regio secretario, qui caput erat legationis, vt Catharinam in vxorem sibi destinatam, sponsalibus celebratis, quàm primùm ad se in Scythiam ex Armenia curet deducendam. Omnia rite pauculis diebus cum magnificentissimo apparatu, & cum omnium incredibili plausu confecta sunt.

Catharina secum in Scythiam, præter familiam obsequio suo dicatam famulos, famulasque à cubiculis, à secretis; duxerat etiam Sacerdotes Armenios, qui sibi suisque sacra ministrarent, obirentque omnia, quæ ad cultum Dei; & ad expiationem animæ spectabant. Ea verò cum suis omnibus incredibile memoratu est quanta cum lætitia, & magnificentia, & apparatu ab ipso Rege atque Imperatore coniuge suo fuerit excepta, renunciata, & palàm coronata Imperatrix. Vbi autem non forma tantummodo, qua pulcherrimas quasque lõgè superabat, verùm etiam formæ consimiles mores, regalesque ingenij dotes experiũdo patuere, felicissimum se omnium Regum & Principum Cassanus existimare: diem, horam, momentum pro sancto habere, in quo sibi de Virgine poscenda & ducenda venerat in mentem, hoc magis: quod mirificus quidam cernebatur non solùm erga se Regem, sed etiam erga talem Reginam omnium cultus, & fauor populorum. Ecce autem non

diu

diu poſt prægnans mulier inuenta, & mariti, & cognatorum, & penitus omnium gaudia cumulauit. Certare cum Scythis Armeni gratulando, & gratias agendo: hi quidem præpotenti omnium bonorum largitori Deo, illi verò ad inania ſimulacra ſterilium Deorum. Voces paſſim exaudiebantur comprecantium, ac renouantium vota, vt ſimilis parentibus heres imperij puer naſceretur. O vere imperſcrutabilem humanis ingenijs Diuinam mentem! O nec Angelis quidem in propinquo ſtantibus nota Domini arcana conſilia! Menſibus exactis parit Catharina maſculum infantem, ſed adſpectu adeò deformem, adeò per omnes partes monſtroſum, vt vix formam agnoſceres humanam. Eſt facilè cuique cum animo reputare, quantum ea res primùm Matri Reginæ, tum Armenijs cum illa omnibus attulerit animi ægritudinem. Murmur illico percrebuit ingens, triſte, varium per Aulam, per Vrbem, per prouincias: alijs culpantibus, alijs extra noxiam putantibus Reginam. Vulgò autem ſua leuitas & inſtabilitas conſtabat. qui paulò ante Regem ſuum ſummæ prudentiæ commendarant, quòd talem ſibi adiunxiſſet vxorem; nunc eundem omnes incuſare ac ſiniſtris differre ſermonibus, quòd peregrinam, & ab ſua Religione alienam; non ciuem, non popularem, non ſaltem in Scythia natam, & priſcis imbutam ſacris ducere voluerit.

merito

merito illi Iunonem, Lucinam, & præsidem Scythiæ Martem succensere, quòd corruperit Regalem atque auitum sanguinem Christiana ignobilitas. Censere igitur plerique amicorum & procerum, vt mulier repudiata cum infausto, quod pepererat, monstro in Armeniam ad Patrem remitteretur: Cassanus alterā sibi desponderet; fortè filiam Regis Ægyptiorum, si minus pulchritudine, saltem prudentia æqualem; nobilitate, religione, fide superiorem.

Tales erant nobilium Scytharum opiniones, rationes, coniecturæ. At Imperatòr non temerè suspicans fractam ab vxore matrimonij fidem, huiusmodi fœtum stupratori cuipiam non Marito esse tribuendum: ardētissimo amore in odium ter tanto atrocius conuerso, castissimam Reginam, velut adulterij conuictam, in medio foro viuam cremari cum suo pignore imperauit. Catharina post quàm incassum defensiones, & rationes omnes suas recidere vidit; vnū in primis à Christo Domino precata, vt abesse supplicio iuberet ignominiam, neuè idem perderet ignis & corpus, & famam: intrepido animo, vt Regina, vt innocente, vt Christiana dignum erat, sese ad crudam mortem comparabat. Et quia interim angustijs ædium clausa tanquam in carcere custodiebatur, nec vlli ad eam ingressus patebat præter familiares ancillas; harum vna

vtitur

vtitur ad Regem internuncia, petitum que suppliciter hæc duo. primùm vt sibi animam repurgare per Confessionem, & cælesti Ferculo recreare liceat morituræ. ad hæc vt natus infans cum Matre arsurus innocens cum innocente, lustrali vnda perfundatur, Christianis sacris initiandus. Vtramque rem facilè concessit Imperator. Arcessitus Sacerdos Reginam Christiano ritu expiatam, mox ad Cælum iter ingressuram viatico munit, ad fortitudinem & constantiam hortatus. Deinde ad infantem solemnibus ceremonijs eluendum, descendebant in Templum Beatæ Virgini dicatum, quod statim illò adueniens Catharina concessu Regis extruxerat. Verùm enimuero Rex natura curiosior, suis ipse oculis aspicere cupiens Christianam hanc consuetudinem, at non propterea in illorum Templa pedem sustinens inferre; subito edicto mandauit, vt solemnitas illa se spectante in medio foro celebraretur. Nempe visus est velle, vt in eodem infans loco reperiret & per flammam corpori mortem, & per vndam animæ salutem. Felix puer, cui fœdum ac fœtidum nasci bono fuit: cum ceteris idololatris in Orcum rapiendus, si natura indulgens pepercisset, si Deus annuisset votis Parentum. Optanda crudelitas, licet ignibus expianda! Te iterum ac tertiò felicem, à quo temporarius ignis arcet æternum. Verè temporarius; cum hoc quoque Tyrannus

indul-

indulsisset, vt breui compendio anima raperetur, nè segnes in longum diem teneret lictores. præposterus punitor! à quo recens genitus puer ab vtero efferri iubetur, non cadauer ad sepulchrum, sed viuens ad rogum.

Iam omnia erant in forum collata, & vtendo expedita, quæ ad piam Lustrationem requirebantur: forum ipsum valde amplum sua sponte, ligneis pegmatis laxabatur, velut in caueam magis capacem: multitudo è singulis Vrbis partibus ad spectaculum confluxerat, cateruatim hàc illac circumfusa: Rex ipse amicorum & Principum agmine stipatus, prope Fontem consederat expectabundus. Nec mora procedit in medium Rahac Armenius (vt ego suspicor) nõ simplex Sacerdos, sed Antistes Sacrorum, tyara insignis candente bifurcata. huic præter cetera ornamenta grandes humeros late fluens aurea palla honestabat. cuius luxuriam complexus Smaragdum, Berillus, initaque societate, coniunctis viribus coercebant. Nec digitis atque bracchijs honos deerat: torques, armillæ, anuli, aurearum insignia virtutum. pes quoque speciosior gemmata ostentabat sandalia, & aureum solum superbus calcabat. Par erat, & Antistiti proportione respondens circa-stantium ornatus & decor ministrorum. Ergo solemnibus ceremonijs, quæ Baptismum antecedunt, cum eximia pietate, ordine,

decoro

decore finitis: ad quæ Rex nihil vnquam loçutus, tantùm pallens aliquando, & sæpe suspirans, intentis oculis adspexit. vbi tandem Sacerdos sublatum in vlnas infantem, liquido spargens argento, cælestem formulam elata voce pronunciauit, *EGO te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: rem visu mirandam, relatu incredibilem, nisi primùm res ipsa palàm ostenderet, nisi tot hominum fideles oculi probarent, nisi Rex ipse contestatus fuisset clarissimo incepto: puer antea turpissimus adspectu, & in omnem partem despicabilis extemplò in bellissimum ac venustissimum rediit infantem. lapsus in terram è Cælo Angelus, nõ ex humanis parentibus natus videbatur. Inter cetera plurimus in vultu Pater, non adeo multa Mater eminebat. Attoniti miraculo tam insigni, tam euidenti, clamare omnes intentis vocibus, extra omnem culpam esse Reginam: habere illam suæ castitatis, & innocentiæ testem præsentem Deum: videri æquissimum, atque adeò necessarium, vt à Rege in pristinum, eoque (si fieri possit) honestiorem gratiæ locum recipiatur. Sed non indiguit adhortationibus, vel admonitionibus cuiusquam sua sponte resipiscens Imperator. satis superque ad cor seriò pœnitens, & suam detestans crudelitatem, diuina vox inclamabat. Ergo palàm cum castissima coniuge reconciliatus, meliore spiritu afflante, IAM nunc do nomen ex-

clamabat

clamabat in vestram Religionem.me quoque ó Armeniæ Sacerdos, purga ex Fonte Sacrosancto, & meæ maculas infidelitatis elue lustralibus vndis. Nec mora: cum Satrapis, & Dynastis, cumque amicorum cohorte vniuersa, libentissimis omnes animis Regium infantem secuti, eodem ex Fonte, ab eodem Antistite lauantur. Et puer quidem corporeas etiam sordes lauans abiecit: illi tantùm ad interiora fluente Flumine internam animæ pulchritudinem nacti, grates Cælo reddebant ingentes immortales. Ibi lepidè conuersus ad Regem Armenius Sacerdos: Non temerè, inquit, sed ex Diuina prouidentia factum puto, vt vnius infantis Baptismus non vulgariter in Templo, sed regaliter in foro quàm magnificentissimè celebraretur: ecce Regem ipsum, Regiamque familiam illustrior expectabat apparatus. Cùm tantùm puero scientes faceremus, etiam Imperatori faciebamus nescientes. Haud longo post tempore interiecto, per omnes populos, Imperatori subiectos primùm miraculi fama, dein Christiana Religio sese diffudit, virebatque inter illas gentes Vinea Domini post etiam Cassanum & Cassani filium non sinè fructu: steriluit tamen paulatim, ac fermè penitus exaruit penuria colonorum.

Hic ille est Scytharum Imperator Cassanus, qui studio ductus perdendi Maumetismum, & Christianæ Fidei propagandæ,

cum socero suo Armeniorum Rege inita societate, potentissimum exercitum comparauit. ducenta equitum millia secum in Iudæam adduxisse memoratur. Itaque facilè hostibus partim trucidatis, partim fugere coactis sanctam ciuitatem Hierusalem & loca regionesque adiacêtes ab impia Turcarum tyrannide vindicauit. Inde ad Bonifacium Octauum Pont. Max. & ad Regem Galliæ Philippum, cognomento Bellum, honestissima Procerum suorum Legatione dimissa vtrumque vehementer hortatus est, vt propere copias in Syriam trajcerent ad eam prouinciam, quam ille totam armis subegerat, retinendam & custodiendam. sibi mox in Scythiam esse remigrandum, ad sedandos tumultus, se absente, ab aliquot perduellibus concitatos. tamen sese magnam partem copiarum suarum subsidio illic relicturum. Sed Bonifacius * non putauit alio esse conuertenda quæcumque illi suppeterent ex Pontificatu, haud tunc nimis abundante, vectigalia. Philippus verò Galliarum Rex meliore quidem animo, sed exitu pariter infructuoso Legationem excepit. * Mansit tamen adhuc plusculum, quam eius regno expediret nouellus Christi miles Cassanus. nec interim ab armis cessauit pro tuenda Religione. Nam obuiam sibi prodeuntem cum inmêso exercitu Melesaimum Ægypti Regem (vulgò Soldanum vocant) fortiter excepit, fudit, profligauit, castris

etiam

etiam, atque impedimentis potitus. Fuere in his aliquot talentorum millia cum spolijs longè pretiosissimis. Cassanus tantummodo ensem falcatum ex tanta præda sibi vindicauit, reliqua omnia viritim in milites distributa. Horum ibi postea in subsidium non exiguo numero relicto in Scythiam iter moliens Christianos Principes iterata Legatione fatigauit. sed illorum cessantibus auxilijs destituta Scytharum præsidia, paulò post dilapsa sunt, Maumettanis, & Sarracenis duplicato exercitu Hierosolymam omnemque Prouinciam repetentibus cum magno detrimento, maiore infamia Christianorum.

DECADIS SECVNDÆ

Exemplũ Decimum

Argumentum.

Fortis vxor ignauum maritum duriùs castigat. Hic desperans & properans mori, lepidè vlciscitur crudelem, & demulcet iratam.

Malatestæ *Narratione finita, continere se optimi* Sodales *non potuere, ab illius etiam clausula prouocati, quò minus rem Christianam deplorarent sero Barbaro sacrosanctis Christi cuna-*

bulis

*bu'is potitò, & Principibus nostris alia omnia curantibus insultante. Grauiter igitur in turpem desidiam * inuecti, ab* Rege *castigari meruere*, *quòd* OS in Cælum, *vt dicitur. Ergo sub istac* Franciscus Coppetta *nihil cunctatus.*

HAud facile dixerim; cui nam vsui futurum nobis sit, quod in præsens narrare aggredior **Exemplum** de Viro fatuo, de femina prudente. Nisi quod mirificus interueniens casus docere nos poterit, falli quandoque nimis cautos, nimis sagaces; nec esse rerum euenta omnium (vt quidam persuasum habent) in arbitrio Sapientis. Res est (quod magis miremini) coniugum adhuc viuentium in Pago Sabinate haud hinc longule sito; tametsi horum habitatio ceterarum frequentiam fugiens prope solitaria stat in confini siluarum atque camporum. eam mihi prætereunti senex cordatus, harum incola regionum digito monstrabat, & hanc mecum lentis ambulans passibus memorabat Historiam, non tantum sibi (vt aiebat) sed planè omnibus vicinis, compertam. Mihi est visum agreste facinus non indignum, quod inter vrbana, & heroica vestra referretur: Vt dicebas heri vesperi *Coppetta* sapidiores tibi visos post rapam leporinos lumbos, & felleros post anguillam. Nomina coniugum sunt, mariti Blasius, vxoris Florentia. sed vulgus deflorans capite truncato, reformat in Renzam.

Res

Res illi domestica pro statu & condicione non angusta, soboles penitus nulla, nec heredes arctè propinqui. tantùm domi alere pecuariam, eamdemque asinariam puellam. mulier nihilo minus ad rem attenta, non solùm lanificio, sed etiam agricolationi operam nauare. Vir natura simplex idemque ignauus, ac prope fatuus vxori obsequens esse, non sponte ille quidem; sed metu virgarum, quibus sæpe tangebatur. Erant hæc hominis officia siue munera, quæ ferox mulier iniunxerat, ædes verrere, aquam haurire, ligna conuehere. Ad hæc hortum repurgare, noxias herbas euellere, vtiles aquis rigare, in primis autem custodire gallinarium, quod illi vltimum super cetera molestum atque odiosum fuit. Vxor contra in id potissimùm incumbebat, & hoc præcipuè curari volebat, quòd pullariam artem factitabat in primis quæstuosam propter publicas nundinas, illinc non admodum distantes. Mansionem proprio vocabulo nominant Villam, haud procul ab Arce Balionia, quò semel in hebdomada, die inquam Iouis, non solùm ab agrestibus in propinquo habitantibus; verùm etiam à longinquis, & ab Vrbe ipsa confluitur ad celebrem mercatum. Huic fermè semper intererat Renza venum afferens oua, pullastros, capones, pipiones, agnos etiam hædosque interdum; & præter hæc vertente anno genera omnia herbarum, fructuum,

legu-

leguminum. Blasius domi ad custodiam rerum omnium relinquebatur, præcipuè pullorum, & ille præcipuè in pullis peccabat. Nunquam ferè à mercato, aut longiùs aliunde sub noctem mulier redibat, quin domi aliquid offenderet improbè factum, ignauiter curatum, negligenter custoditum. Ac cetera quidem non valde iniquo animo ferebat, pullos verò identidem rapi, & decrescere pullarium pati non poterat: dum alium Miluius subito deuolans, alium astu vulpes insidians, alium furunculus callidè subiens auertunt, captantes videlicet mulieris absentiam, & suam rati occasionem stolidi hominis inertem custodiam. Ergo potissimùm de pullis interceptis apud seuerum coniugis tribunal causam dicere infelix Blasius cogebatur: & vnus aliquis non compareret, sua tantùm confessione reus, sine vllis testibus, sine vlla iudicij ampliatione, statim acriter vapulabat.

Sub æstatem ineuntem superioris anni credita illi cura recentium pullorum, sanè complurium sub matre pipilantium, circa quos in propinquo frequenter volans accipiter, nunc ampliores, nunc angustiores orbes rotabat. Vidit hoc prouida mulier, & suo ab illis vnguibus pullario metuens, imperat Blasio, vt se in proximam villam abeunte, post paulùm reditura, non discedat à pullario longiùs, arceatque rapacissimam volucrem ab infãtibus pullis,

ingens

ingens atque atrox supplicium minata, si quem illi numero (& numerauit) rediens abesse sentiret. Pollicetur prompto animo Blasius, se ibi semper futurum, nec alias res acturum: iret, rediret sine cura. Verùm enimuerò post quàm è conspectu mulier abijt, oblitus minarum, oblitus verberum, alio statim se confert, si quid in arca, si quid in armario, si quid alibi latens inueniat esui paratum, gustu suaue: tùm se ad lusus ineptiasque cõuertit planè pueriles: illud habens in postremis, quod ei ante omnia curandum fuit. Tam supinam negligentiam puto accipiter ipse mirabatur: puto & ipsa crocitans querebatur, fidemque hominis plorabat pullaria mater-familias. cum interim Blasius omnium securus cantillabat, secum ludebat, huc illuc discursabat, nihil animo cogitans, nihil pensi habens omnino. Igitur accipiter solitudinẽ ex alto conspicatus, in pullum de grandiusculis, forte à ceteris longule distantem ferox inuehitur, & momento arreptum, frustra fraternum maternumque subsidium clamantem extulit, viuumque deuorauit. Ad gemitum communem pignorum reliquorum, stridorẽque lamentantis, & incassum minantis matronæ; tandem Blasius quasi somno experrectus clamare cœpit. Heu Ohe, Miluium, Miluium vicini. Post quàm vero vnum de creditis custodiæ suæ pullis abesse intellexit, eumque ceteris grãdiorem, ideoque instantiùs

commendatum; miser in lacrymas effusus, tanquam timida puella circumspicere latebras, huc atque illuc fugere trepidans, & nunc post armaria se abscondere, nunc sub lecto conquiescens latere, omnes angulos sibi capiundo idoneos tetare, locos tamen identidem mutare, nullis tenebris, nulli latibulo confidere: coniux in animo, in auribus, in oculis semper est, iurgio terrens, fuste castigans. Fecit hæc absentia nouam Miluio prædandi occasionem. Itaque tribus pauciores quàm reliquerat inuenit, domum ante noctem regrediens Renza.

Quæ quidem tota errans & vociferans domo cum Blasium nō inueniret, primùm suspicata est metu fustiū aufugisse, ac fors vspiam in proxima silua delitescere. mox recogitans hominem super lepores, & animalcula omnia meticulosum non potuisse huiusmodi consilium capere, vel longiùs ab domo fugiendi, vel noctu inter bestias latendi: Potius hæc, inquit, pecus in stabulo latet, vel pone domum in tugurio stramentario. Venit igitur hæc cogitans in stabulum, venit in tugurium: & neque hic, neque illic Blasius inuentus. Tum, Expectabo tantisper, inquit, dum redeat domū ancilla pecuaria capellas reducens. nam certè Blasius ad illam se contulerit, non ausus se mihi corā offerre soli solum; & hoc quicquid erit auxilij captans ad me leniendam, minuendumque numerum

plagarum

plagarum. Sed hoc illi contra ſpem faxo eueniat. vberiùs vapulabit ob duplicem noxam, primùm quia pullariam, deinde quia domum reliquit incuſtoditam. Quæ ſecum murmurans mulier irata, dum perambulat domũ, vtenſilia diſponens, ignem accendens, cenam feſtinãs; ecce animaduertit ſtridentem per ædes quaſi ſua gemeret funera, tribus vno die orbatam infantibus gallinam: ſequuntur parui liberi triſtem parentem, pariter ipſi conquerentes, edenteſque ſimilem gemitui pipilatum. quod magis mirandum erat, quacumque Domina iret, vbicumque conſiſteret, ſemper ponè illam, ſemper ante illam: imò mater gallina propiùs accedens inſinuare ſe, veſtem oſculari, oggannire præter ſolitum, & roſtro apprehenſam, velle quopiam abducere videri. Stupeſcere mulier in incredibilem modum, & conſurgenti, nec vſpiam eunti præire gallina, & viſa iter oſtendere in angulum domus, vbi ædicula perangusta, & depreſſa foris oſtiolo claudebatur. mox roſtro & vnguibus conari oſtium reducere, locum pateſacere: quia id non poſſet, cruciari: crebro dominam reſpicere: vtcùmque poterat, innuere, rogare, inſtare, vt ædem recluderet. Recluſit: & (ò rem inſperatam) offendit in latrina latentem Blaſium. Ex eo apparuit quid mater gallina, quid fratres gallinacei vellent peterentque, vltionem dico trium interemptorum vnius vitio cuſtodis. Ad

quam protinus exequendam non egebat cuiusquam adulatione, aut blanditijs mulier · indicio tantum egebat . quod vt est factum, posthabitis omnibus, qua dudum facilitate ac celeritate accipiter pullos, hac Renza desertorem pullorum manu raptum in medio statuit, exutumque ad intimam tunicam nodoso fune tam diu, atque tam acriter flagellauit, donec corium quoquouersus exaratum conspexit, sæpe ictibus, tanquam sulcis repetitis atque inuicem confusis . Clamare Blasius inter vapulandum miserabiliter, seseque polliceri post hac frugi futurum . & fuit ad dies pauculos, deinde ad ingenium redijt. Vt appareat verum esse vulgare verbum, *Ex correctione probum in melius, prauum in deterius mutare vitam.*

Ac iam nè faciam longiùs, ea persequendo, quæ me tacente facilia, & perspicua sunt ad opinandum; Blasiana stoliditas eò redijt tandem, vt pullorum numerus aliorum alio casu pereuntium, ex duodeuiginti ad duos fuerit redactus. Nec interim destitit insanus custos nunc flagello, nunc carcere, nunc inedia castigari: quousque tantulum promosse in ea cura, & diligentia videbatur. Duos igitur cum ferè semper haberet in cōspectu, nec temere quopiam aliò iret, metu sessionem, atque solitudinem docente; pauculis diebus ab insidijs, & volucrum, & quadrupedum satis feliciter defendit. Enimuero pertæsus

aliquando

aliquando ignauam illam, & sedentariam tutelam, cupidus hac illac more suo vagandi, lepidum excogitauit commentum, per quod pulli nō discederent alter ab altero longius, & ipse interdum aliquousque transcurrere posset Miluij securus. Alligat alterum alteri per pedes funiculo longiore, vt circiter decem cubitos distare inuicem possent nil ferè ampliùs. deinde conatus est idem inijcere vinculum gallinæ grandiori, si quando alterutrum Miluius raperet, vtrumque filium Matris ope retenturus. sed illa pedicas renuit, & rostro pariter atque vnguibus armata, longè arcuit hostem. Ergo fraterculi, quos à colore Blancellum, & Nigellum Blasius vocabat, alter prope alterum tristes iacere, cibum non capere, tantùm flebiliter conqueri, & quasi suum ipsi funus anteuertere plangendo. Blasius ea molestia liber (vt sibi videbatur) solutiore animo ad suas ineptias reditum fecit, seseque nunc lapillis iaciundis, nunc saltibus metiendis, nunc cicadis, aut muscis captandis oblectabat. Iam passuum inde aberat circiter sexaginta, cum audit à tergo strepentes atque stridentes, quàm cum maximè gallinas. Vertitur trepidè in eam partem, & (ò spectaculum pullis funestum, sibi formidandum) videt accipitrem altero pullorū subrepto, in altum sese attollere conantem, & prædam infra pendulam funi annexam ægrè molientem. Tum Blasius animo conster-

nato, multa Miluio imprecans mala, sic hortatur pendentem pedibus à funiculo pullum. Mi Blancelle, mi Blancelle fac strenuè resistas, funem fortiùs trahe, captum libera N gellum. Tu quid stas ignauissima? filios vides alterum rapi, alterum trahi; nec opem fers libericida? Et ille quidem quātùm potuit cucurrit, minans, vlulans, vociferans. Sed iam Miluius cum duplici præda, illam vnguibus, hanc funibus, raptam trahens in solemni arborum vertice consederat, vtramque deuoraturus.

Quid tu obsecro in præsens, miserrime Blasi? certum habes instare tibi à Renza irata grande infortunium. Qua ratione, quo perfugio, cuius interuentu, aut deprecatione imminens malum vitabis? Iam remedia omnia, consumpta sunt, iam nè ad Cloacinam quidem securus tibi relinquitur accessus. vltrix gallina hunc quoque locum, ceteroqui communem tibi, nunc clausit, quæ olim aperuit, corrupitque in posterum non ampliùs profuturum. Consimili lamentatione secum Blasius loquebatur, consilij penitus expers. Omnia autem potiora putabat, quàm superbum coniugis vultum, & fuste armatas manus experiri. hoc magis: quod pridem erat minata deuincturam ad trabem per manus in tergum retractas, & sic nudum per diem noctemque habituram cum asperrima, & certis horis repetenda verberatione: cum interim gustare nihil ei licitum foret.

foret aut esculentum, aut poculentum. Hoc igitur formidans horribile supplicū, priùs quàm mulier à solemnibus nundinis rediret, mori destinauit. Mortis autem genus quale nō nimis asperum & crudum eligeret, aliquādiu secum ipse deliberauit. Hoc, inquit, cultello ventrem, aut pectus transfodiam. (& fortè cultellum in manu habebat, quo diuideret, enuclearetque iuglandes recentes) At enim, inquit, pusillum vulnus immaniter dolet. Quid si altiùs infixerim tota transadigēs intestina? Non placet. Ibo potiùs in Turrim Columbariam, meque de illa specula præcipitem dabo. Sed afferet iste casus non mediocrem dolorem, si forte contingat (& continget facilè) ad grande saxum infra stans allidere caput. Ad hæc horret in proximo spinis acutissimis obsita sepes, cui superincidens fœde cruciarer antequam morerer. Ne hoc quidem satis placet. Scio quid faciam. collum laqueo innectam, meque de robusto propinquę ilicis ramo suspendam. Rectè. Sed forsitan ille Accipiter, cui dudum atrox conuicium feci, ad me statim deuolabit, mihique oculos effodiet in vindictam. Vt qui pransus est pullos meos, de me sibi conficiat cenam. Hoc minimè omnium probatur. Quid igitur faciam? quid obsecro? quid? Ah nunc redit ad memoriā misero mihi lenis & placida mors. hauriam scilicet venenum, quod in vase absconditum super armario mulier conseruat.

seruat. O Renza, o Renza! quo adigis cruda Blasiolum tuum, vt tuam fugiat immanitatem. Cum hoc dicto superius cenaculum ascendit, & ad venenum recta contendit, certus hauriundi, certus moriendi. Quale autem hoc fuerit venenum, & cur palàm expositum, antea breuiter memorandum est.

Renza, vt rem omnem familiarem diligenter curabat, domumque omnibus rebus abunde instructam habebat; inter cetera quotannis cêtum, eoque plures aqua macerabat; & melle condiebat recentes nuces, alijs quoque pomulis intermistis. & quoniam Blasius cerebro insipiens, palato sapiens, cum cetera huiuscemodi, tum has maximè conditūras appetebat, & furtim raptas quotidie vorabat. Ideò consulens vasculo suo femina persuasit marito intra vas illud latere atrox venenum, ac si quis vnam modo nuculam tangeret, paulò post haud dubiè moriturum. Facile stolidum hominem sagax mulier fefellerat. Itaque non ad vas tantùm, sed ad armarium ipsum vadere, ac propiùs accedere Blasius formidabat. Id hodie recordans, & mori cupiens, intrepido animo ad arcam penuariam se contulit, vas manicatum foras extraxit, & totum hausit imaginarium venenum, nuces, amygdalas, cucurbitas, mala medica, id genus alia, hoc solo imitatus Virum. Porrò tantum mente atque consilio valebat, vt facilè intelligeres,

geret, quantò plùs veneni hausisset, tantò celeriùs & expeditiùs venturam mortem. ideo vas vxorium exhauriens vita priuauit, & suum ipse inferciens multa morte compleuit. Non adeò mendax fuerat Renza, cum dixit latere intra testam venenum. Ecce Blasius quasi venenatus ventre ampliter distento languet planè moribũdus. pro veneno crapula est: ea parùm abfuit, quin extingueret Virum. Qui tamen spatijs aliquot factis, & sedato parumper intestino tumultu, sedens mortem expectabat, satur vtique moriturus. Redit interim Renza, & obuiam habens tristem volucrem, omnibus liberis orbatam, crebro singultu poscentem vindicari; re ad plenum comperta, non ampliùs lorarijs flagellis, sed nodoso fuste armata, & rabie incitata fertur in Blasium, quem sicut antea plorantem, eiulantemque dum planè immisericorditer pulsat repulsatque antrorsum retrorsum, quocumque cæca ira furentem dextram impelleret: clamare miser inter vapulandum: O mea vxor, mea dulcissima vxor parce infelici marito animam agenti, parce nunc ante tuos pedes, ante tuos oculos expiraturo. Dicam namque, dicam optima coniux. abstine interim paulisper, & da spatium Morti adeunti. quærit accessum, & non inuenit per flagella. Hem iam morior miser: præcordia inuasit venenum, cor trepidat moribundum. Voca Voca Presbyterum

terum Renza, qui cantet Marauallde, Quiescatte'n pace. Nam ego, si nescis mea vxor, propter desperationem mori cupiens, venenatas nuces armario deprompsi, & ad vnam omnes confeci. vide quantulum vitæ supersit. Ad quod verbum tam insperatum, tam inopinum, & tam iudicio suo lepidum Renza, licet adhuc iracundia & furore prægnans, de repente in tam grande cachinnum erupit, & tam postea hilares effusosque risus continuauit, vt maiorem ridendo, quàm dudum ambulando, & nunc pulsando contraxerit fatigationem. Post eum diem nec verberibus, nec verbis asperè vnquam accepit, nec appellauit mulier Virum. puto edocta pluribus experimentis, huiusmodi fatua ingenia tanquã pueros, aut bis pueros senes, blandiendo potiùs & adulando mulceri, quàm minando & castigando terreri, hoc est irritari oportere. Nunc in summa tranquillitate ac pace simul viuere dicuntur.

Finem fecerat dicendi Coppetta, *at nondum faciebant ridendi elegans & lepida* Societas: *cum* Philander; *Vt ridicula, inquit,* Narratio *non sit penitus ridicula, sed aliquid nobis conferat ad ciuilem vitam; libenter ex vobis audierim seniores, quo nam modo cum his natura simplicibus, aut seruis, aut liberis agendum sit, vtrum leniter cum singulis indifferenter, an cum aliquo simplicium genere duriùs, asperiùs. Ego, inquit* Archelaus, *(nam hunc maximè* Philander *intuebatur) ita rem definierim, licet per* Exemplum

plum *paulò aliter videatur posse sentiri. Homines simplices, ideſt qui humanas aſtutias ignorant, & fallere quempiam nec volunt, nec ſi velint, ſciunt; ſi ſunt fideles, laborioſi, obſequentes, diligentes, qualis nimirum eſt (noſtis hominem) Medicus ille altor liberorum meorum; hi mihi non ſolùm leniter tractandi, ſed etiam magis diligendi, & cariores habendi videntur, quàm magna pars aſtutorum, magis ſagacium, meliùs curantium. ſin autem ſimplicitati adiuncta eſt improbitas, facile noſcenda ex eo, quòd ſimplices huiuſcemodi libenter pigrantur, otiantur, helluantur; nec ferè quicquam penſi habent, dum ſuas expleant cupiditates, & ſibi iucundè faciant, vbicumque copia eſt: hos ego quidem, ſi liberi ſunt arctè habendos, & vſque fatigandos cenſeo, vt libidinem labor domet, & expellat ignauiam. de ſeruis autem ſiue ſpurijs, non auſim in genere idem conſilium dare. Nam vtrique, ſi natura nequam ſunt, hi perquam raro, illi plane nunquam frugi euadunt per diſciplinam, ſiue intentam, ſiue remiſſam. Probato documento & pluſculis confirmato exemplis* Rex *conuiuij* Fortebracchius; *Lator, inquit, beneuertere principia recreationum noſtrarum. Cælitibus ex more actis gratijs, cubitum ſinguli diſcedamus.*

FINIS.

Pag.	lin.	Errata	Corrigo
20	5	teſtimonia	teſtimonio
29	27	vim debitum	iam debitum
47	17	flagrantium	fragrantiam
ibid.	30	Vtramque	Vtrarumque
70	4	affirmabat	offirmabat
133	32	fortunam	fortuna
151	14	concurrerat	cucurrerat
158	31	affectari	aſſectari
161	13	cuius	cuias
169	15	delicta	dilecta
185	11	honeſtate	honeſta
199	22	optimam	opimam
229	12	numero	humero
233	5	ſarciundum	ſarciendam
287	7	natos	natus
ibid.	14	fama	forma
318	7	res	rem
326	7	vocem	voces
330	1	decoro	decore

Reliqua errata leuiora prudens ac fauens Lector facile agnoſcet & ignoſcet.

